DISCEPTATIONUM REUEREN. PATRIS FRATRIS AMBROSII CATHARINI EPISCOPI...

Ambrosio Catarino Politi

DISCEPTATIONVM

REVEREN. PATRIS FRATRIS
Ambrosii Catharini Epi Minorien.
AD R.P. ET SACRAE THEOLOGIAE
professorem Fratrem Dominicum Soto
Ordinis prædicatorum super quinque articulis

De Certitudine inhærentis gratiæ.
De Prædestinatione Dei.
De Natura peccati originalis.
De Potentia liberi arb. in statu naturæ lapsæ.
De Desertione ac inductione Dei.
Liber.

BIBLIOTECA NACIONAL 1872

Romæ apud Vincentium Valgrisium.
M. D. LI.

DISCEPTATIONVM REVERENDI Patris F. Ambrosy Catharini Episcopi Minoriensis Super quinque articulis, Ad Reuerendum P. et sacræ theologiæ professorem Fratrem Dominicum Soto ordinis prædicatorum Præfatio.

VAE NAM TENTATIO hæc? Ecce Apologetica tua, aut uerius inuectiua plena calumnys aduersum me, secundò ac tertiò, tua iussu typis excusa, uniuerso orbi obtruditur: Ecce et noua cõmentaria tua in Epistolam ad Romanos, ubi me, etiam citata nomine, in nonnullis articulis de quibus in opusculis nostris disserui, immerito nec absq; probro notam mihi temeritatis inurens, nostrã doctrinam insectaris. Quid faciam? Tacebo? ut impunè falso aduersus ueritatem triumpho exultes? An potius ad hæc ingratissima mihi contentionis studia animum applicabo? Certè id postulat causa ueritatis, & onus ueritatis à qua aberrare Theologum, indignum puto: Scire autem illam cunctis ualdè utile censeo ac pernecessarium. Nam quos in controuersiam adduxit articulos, in ea speculatione uersantur, qua sũmi Dei Patris erga nos prouidentiam, mirifica benignitate dilectione ac sapientia plenam, licet agnoscere, & magno cum gaudio contemplari. Qua notitia, ad roborandam fidem atq; ad excitandam erga illum in nobis charitatem, nescio num quid opportunius homini studiosa possit occurrere. Quo circa nõ curabo tuis respõdere calũnys et maledictis quæ in apologiã quã amarus et plenus stomacho coniecisti. Hoc n. tam in Expurga-

tione noſtra ſatis eſſe factum exiſtimo: ut nunc meritò cõquerar contra te, quod illam, ut æquum erat, non attexueris apologiæ tuæ, quo ualuiſſet ab utroq; noſtrum inſtructus lector, hinc inde inſpectis collatis q; utriusq; rationibus, rectius de nobis & de rei ueritate proferre iudicium. Illud ergo mihi nunc operæ ſumpſi, miſſa omni alia contentione, eos theologicos retractare articulos, in quibus, magiſtrali quadam ac tremenda cenſura, ſententiam noſtram reprehendis. Tremendã dixi, ſi illi hæc non ſcripturarum ſuffragaretur. At quoniam illa procul dubio aduerſatur, ſecuros ab illa nos facis: quod ut ſpero ipſemet comprobabis, Sunt autem capitales articuli quinq;. De certitudine gratiæ, De prædeſtinatione, De natura peccati originalis, De potentia liberi arbitrij in ſtatu naturæ lapſæ: Denq; De deſertione ac induratione Dei.

DISCEPTATIO PRIMA DE Certitudine gratiæ.

ANTEQVAM *huius controuerſiæ de certitudine gratiæ neruum attingam; duo mihi præſupponenda ſunt. Primum, quod noſtra ſententia hac de re cum hæreſi & commento lutheranorum è diametro pugnat: quod nec tu negas. & qui poſt te hunc tres-*

Vega li. ix. cap. VII. fol. cxlvii. D.

cauit articulum Venerabilis Pater ac multæ lectionis Vir Frater Andreas Vega *facile comprobauit, ſcribens,* Nos longa interuallo ab illarum dogmate diſſidere. Et uere longa interuallo. Illi *n. ſola fide, & ob hac ſolum, quod ipſi firmiter credunt ſibi eſſe remiſſa peccata, hanc ſe habere certitudinem prædicant, ac nihil ad eam conferre uim ſacramentorum ac bonorum operum.* Nos uero contra,

cum ſanctis doctoribus, imò & tecum, qui aduerſus Lutheranos diſputans, noſtras partes eleganter defendis: hoc prædicamus & docemus, ſuppoſita fide, per ſacramentorum uſum, per pœnitentiæ fructus, per exercitium bonorum operum, & uitæ innocentiam, ortri ac roborari, & clariorem in nobis aſſiduè fieri adeptæ gratiæ certitudinem; & inſuper Spiritum Dei id conteſtari nobis in corde noſtro, quòd filij Dei ſumus, & ab eo hanc certam fiduciam aſſequi, ut conclamemus Abba Pater.

Secundo suppono, imò ex eo quod iam præſuppoſitum eſt deducto, contra hanc noſtram ſententiam, quæ non noſtra eſt, ſed ſanctorum patrum, nihil pronunciaſſe Synodum Tridentinam: quod ego in primo meo detexi libello quem ad Præſidentes ipſi Concilio (quorum alter nũc, Deo gratio eſt, ſũmus eſt Pont. Iulius Tertius) et ad ipſam ſacroſanctam Synodum deſtinaui eos alloquens his plane uerbis. Addo quòd ſæpius hoc proteſtati eſtis ambo uos Præſidentes, & ſpes aliter in hac controuerſia tum in conuentu patrum, tùm uero in congregatione theologorum, & ambos audiuimus conteſtantes, non uideri ſibi quæſtionem hanc diſcuſſam ſatis ad deciſionem: Imò ipſemet ſacroſancta Synodus bis declarauit, huius rei definitionem tunc omittendam eſſe, & in aliud tempus ſeruandam ſicut in actis poterit apparere. Denique ipſemet titulus noni capitis hoc manifeſtat abundè, qui ſic habet. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Hæc ego ibi. Quis autem uerè chriſtianus adeo deſipiat, ut auſit reprehendere eam fiduciam, quæ non in ſola fide innititur, ſed in operibus charitatis & in uirtute ſacramentorum & in teſtimonio Spiritus ſancti? Hanc inquam fiduciam, quis abſq; multa inſcitia & arrogantia poteſt uocare inanem fiduciam hæreticorum? Quam Dis lectus ille diſcipulus adeò extollit, ut uocet fiduciam in conſpectu Dei,

non hominum: ne tu humanã posses dicere: quum in conspectu sum mæ Veritatis *nulla alia nisi cerm & diuina ueritas comprobetur. At hæreticorum inanem fiduciam in eo capite, ipso titulo indicante, sẽ dãnare sancta* synodus *perspicuè profitetur; quod tu nulla pars synodi tam audaciter inficiaris.*

Alia item argumenta ibi & in expurgatione nostra hanc circa rem attexui, quibus quamlatissimè cõprobatũ reliqui, hanc inter catholicos disceptatam controuersiam, non solum non fuisse decisam à sancta synodo; *uerum etiam nec tunc, optimis rationibus, ut* Reuerendissimi *Legati admonuerunt, decidi quidem potuisse, eò quod quæstio per se tam implicita ac sinuosa, nostris disputationibus nihilo magis reddita esset clarior, quin potius obscurior. Nam tua inconstantia eò rem deduxisti, ut uix nunc intelligã quis status sit quæstionis, & utrum positioni nostræ aduerseris, ita obscure ac perplexè semper locutus es, modo aiens, modo negans, ut qui malam causam tuetur, qui ui argumentorum huc illuc fluctuans propellitur. Quam rem dum explico & palam facio, quæso patienter attende.*

Primum cùm in synodo *de hac re sermo incidisset, exquiri à theologis cæptum est simpliciter. An homa iustus & Deo dilectus possit quouis modo certus esse suæ sibi inhærentis gratiæ: nec de modo aut genere certitudinis exquirebatur. Et cùm alij simpliciter inficiarentur certitudinem: ex aduersa surrexerunt qui tum scripturarum, tum sanctarum patrum sententijs, ualidè certitudinem comprobarent. Quorum auctoritati cùm priores nequirent obsistere, tunc orta est distinctio de certitudine, & cæpistis confiteri, esse quidem nonnullam certitudinem, sed non fidei certitudinem. Sed cùm etiam fidei certitudo patrum testimonijs probaretur, dixistis non esse certitudinem catholicæ fidei, aut tantam quanta est fidei catholicæ: aut*

asserto nullus repugnauit. Tu uerò, quasi nos oppositum defendere-remus, id est, fidei catholicæ certitudinem, in libro tuo De natura & gratia, *quem confestim ut receſſimus è Tridento publicaſti, ſtatum quæſtionis aduerſum nos propoſuiſti his uerbis:*

Quæſtio ergo eſt, vtrum valeat homo citra ſpeciale reuelatiõis priuilegium de cõmuni lege habere tantam certitudinem ſe eſſe in gratia, quanta eſt fides catholica.

Et paulo inferius,

Atqui interrogatio ſolũ fit de certitudine quãta ẽ fidei catholicæ.

Et iterum, tandem ſtatum quæſtionis ponens, ais:

Sola ergo conſtituitur quæſtio de certitudine fidei catholicæ, illiusue ſimilis.

Hæc tu ferè in initio decimi capitis libri tertij. Et poſtea ſpecialiter in catholicos diſſumus, & iterum ſtatum quæſtionis præfigens, in hunc modum, capite undecimo, ſcripſiſti.

Contra quos (nimirum catholicos) ſtatuitur hæc concluſio. Quamuis poſſit homo in hac vita ſpgrandes habere cõiecturas ſtatus ſui in conſpectu Dei, vt capite ꝓcedenti dicere cœpimus, & paulo poſt amplius explicabimus: nemo tamen, præter ſpeciale reuelationis priuilegium, poteſt tantam obtinere certitudinem legitimæ ſuæ actionis, qua cooperatur mouenti Deo, aut legitimæ receptionis ſacramenti, vt æquo aſſenſu iudicet ſe eſſe in gratia, illi quo chriſtianus aſſentitur articulis fidei.

Hæc tu Soto in catholicos, tam ſecurè eorum ſententiam recitans, quorum tamen diſputationibus te non interfuiſſe, ipſemet confiteris in apologia. Quamobrem ego in eodem libello hanc iniuriam expoſtulans, quòd gratis catholicos infamaueris, illud eos ſtatuens defendiſſe, quod ab eorum mente ac ſermone longè diſtabat, meam ſententiam quam in ſancta Synodo de ſcriptis recituram, recenſui: ubi ne quis perperam noſtrum ſenſum acciperet, declaraui, nos non catholicæ fidei certitudinem, ſed particularis fidei aſſerere: quam non

Sic teſtatur & Vega li 12 ca. vii. fol. c xlvii.

esse tantum quanta est de articulis fidei, sane confessus sum. Quin et tu ipse parum tecum constans, in principio tuæ disputationis id proponens quod nos defendimus, uerius expressistibis uerbis.

De natura & gratia. li. iii. ca. x.

Subsequitur ergo iuxta præfatam in fronte diuisionem, vt in hac secunda parte de certitudine gratiæ dicere prosequamur. De quo quidem articulo, non solum cum Lutheranis, sed cum nonnullis catholicis, certamen nobis extitit. Sane a quibus magnum nobis fuit negotium exhibitum, contendentibus, posse, debereq; sustineri, quod in aliquot casibus potest homo, certitudinem, etiam fidei, habere suæ cum Deo gratiæ & amicitiæ.

En ut planè ais, nos defendisse certitudinem fidei, non autem certitudinem catholicæ fidei. Cur ergo illud de tuo adiungis, Catholicæ fidei certitudinem, aut tantum quanta est fidei catholicæ? Numquid hoc est bona fide disputare, illud statuere a nobis dici quod expressim negamus? Dicimus enim fidei certitudinem, & expressim negamus certitudinem fidei catholicæ, aut tantam quanta est fidei catholicæ; quam tamen nos asserere tu supponis, dum illis uerbis statum quæstionis præfigis. Quod si arguas, idem esse certitudinem fidei, & certitudinem catholicæ fidei, quia uno tantum modo accipienda sit fides. hoc non est statum ponere quæstionis, sed argumentari contra sententiam nostram qui secus sentimus, & principium petere! & si tu me huius dicti gratia immerito reprehendas, & in margine annotari tusseris quasi ostentum, Duplex fides Catharini. Cui obiecto satisfeciſſe me arbitror in Expurgatione nostra, cui nihil respondes, uel quia dedignaris, uel certe quia soluendo non eras. Si quid in sensis, excutere poterat tibi pudorem responsio nostra. Qua in fronte duplicem fidem uituperas, qui nobis quincuplicem obtrudis, imo etiã octuplicẽ? Acquisitã, infusam, diuinã, moralem, humanã, catholicã, particularẽ, peculiarẽ, cui possit subesse falsum, cui non possit. Denique tu ipse confiteris, hominem perfectæ eha-

rimis

ritatis esse aliquo modo certum suæ gratiæ, & hoc solum in dubium uocas, quæ nam sit hæc certitudo. Quum uerò certitudo nulla sit, nisi quæ uel sit euidentiæ, id est, intellectus, uel scientiæ, uel sapientiæ, uel experimenti ad sensum minimè fallacis, uel saltem fidei, non uideo hanc certitudinem quam confiteris, quo in loco ualeas collocare, ut denominues eam nisi certitudinem fidei.

Dices, imò dicis: Hic fides non distinguitur ab opinione. Tu ergo Soto certitudinem in opinione statuis? An non certitudo firmum assensum importat? Qui autem opinatur, ut B. Thomas sæpè docet, infirmum præbet assensum: quod est inclinari in alteram partem cum alterius tamen formidine: quod profectò pugnat cum ratione certitudinis. Nemo.n. qui opinatur, modo sanus sit, asseret se esse certum. Et tamen sancti patres simpliciter huius rei certitudinem asserunt, & quidem fidei certitudinem quæ omnem metum atq; formidinem excludat. sicut clarè & expressè etiam Caietanus uester testatur & docet. Quam rem in assertionibus nostris, quas præ manibus habeo ut (Deo dante) emittam in publicum, quàm latissimè elucidaui. Quòd uero etiam in humanis opinionem à fide non segreges, tuæ est autoritatis, quamuis Philosophum pro te adducas, qui, ut ais, inter sex uirtutes intellectus non commemorat habitum fidei: & philosophi morales, inter scientiam & opinionem non ponunt medium: quasi uero Philosophus sex uirtutes intellectuales commemoret, ut posset inter eas annumerare fidem. Et quid requiris à philosophis commemorationem uirtutis fidei de supernaturalibus, quas ipsi ignorabant? Et tamen, etiam in humanis, fides eò differt ab opinione, quòd fides quidem firmum assensum in sui ratione concludit absq; dubitatione ac formidine: opinio autem non ita Opinio

sicut superius à communi acceptione doctorum declaratum est: à qua si recedis, tecum dis-

ſputa, non cum alys.

Verum redeamus ad rem, & præfigamus aliquando ſtatũ quæ ſtionis. Quia .n. exerte proteſtabamur, nos quidem certitudinem fidei defendere, non tamen fidei catholicæ, neq; tantam quanta eſt catholicæ fidei: tu uidens nihil te euicisſe, ſed gratis nos infamaſſe; hac ſtropha in tua apologia, te à calumnia uendicas. Dixiſti enim quaſi cernens abdita cordis noſtri, nos intelligere, non eſſe tantam certitudinem extenſiuè; at intenſiuè unam. Verum quoniam neq; hoc, niſi manifeſtè contentioſus, poteras defendere, cùm ex noſtris uerbis declararetur nec intenſiuè nec extenſiuè eſſe tantam: tu, ne fruſtra litigaſſe uidereris, & encomium uictoriæ leuiter concinnaſſe, adiecisti;

In apolog. Etiam ſi dicas non eſſe abſolute tantam intenſiue, eſſe tamen tantam aſſeris quanta eſt illa fidei catholicæ quo ad hoc vt excludat omnem dubitationem.

Etiam falsò teſtaris me aſſerere quod nunquam ſcripſi nec ſenſi. Etſi .n. ego fatear hanc certitudinem propriæ gratiæ in uiris perfectis ualidam eſſe ad excludendam omnem dubitationem: attamen etiam ad hunc effectum non adeo ualere ſicut ualet catholica fides, propter publicum teſtimonium Eccleſiæ & omnium fidelium conſenſum, quos omnes aberrare, non eſt facile permiſſionis diuinæ. Eſt autem etiam in ipſa certitudine quæ amouet omnẽ dubitationem, latitudo: quod te latere non debuit. Cum igitur iam nullus tibi eſſet cõtentioni locus, ut honori tuo conſuleres, coactus es rurſum mutare iam abs te conſtitutum ac multoties præfixum, quẽ ſuperius de tuis uerbis protulimus, controuerſiæ ſtatum. Dixiſti .n. nouiſſimè in apologia tua, ſtatuẽs diſſidium inter nos:

Igitur vt miſſum faciamus Lutheranorum ſenſum, in quo repellendo ſumma eſt nobis concordia: diſſenſio quam inter tuam

meamq; mentem, nullam extra verba eſſe exiſtimas, hæc eſt in re maxima. Porro quod tu arbitraris poſſe fieri hominem certũ ſuæ gratiæ, certitudine, quæ licet nõ ſit æqualis fidei catholicæ, ſit tamen vera fides, id eſt, omnem prorſus dubietatem excludens: atq; id quidem lege communi: nempe teſtimonio illo, quod, authore Paulo, Spiritus ſanctus reddit ſpiritui noſtro quod ſimus filii Dei: Hoc ego vero, ſalua pace & autoritate tua, credo eſſe omnino falſum.

Hæc tu Soto. Vbi contra me hanc pomis concluſionem, nõ poſſe dari propriæ gratiæ certitudinem ueræ fidei, id eſt, eius fidei quæ omnem prorſus dubietatem excludat. Sic enim tu ipſe ueram fidem expoſuiſti. Nunc te obſecro, ne ulterius audeas mutare ſtatum cõtrouerſiæ, ſed cogites potius quid ualeas reſpondere ad ſanctos patres, q̃ hac in re dubitationẽ ſæpenumero & hæſitationem & quancunq; formidinem propelli iubent. Nec tamen ita iubent, ut (ſicut eleganter ſtatuit S. Synodus) non concedant, piũm hominem, dum ſeipſum & ſuam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, poſſe de ſua gratia formidare. Sed uolunt, ubi non eſt ualida cauſa trepidationis, ſed multa ſunt argumenta ſecuritatis, paudam animam de Dei miſericordia confidere, & abycere omnem formidinem. Volunt innocẽtes & recenter baptizatos, & uerè pœnitentes abſolutos, ſi nihil ſibi ſunt conſcij, & pro ſua infirmitate parucrunt Deo & ſacerdoti, dignos fructus pœnitentiæ exhibentes, omnino quietam & pacatam habere conſcientiam, nec dubitare aut formidare ullo pacto de adepta aut recuperata gratia. Et ſimiliter ac multo magis eos, qui ſuã ſeruantes innocentiam, heroica charitatis opera fecerunt. Hæc eſt patrum & Eccleſiæ ſanctæ doctrina. Quid eſt igitur quòd ad tot, quot de eorum theſauris produxi ſententias, tam explicatas, tam perſpicuas, nihil unquam reſpondiſti Magiſter? An non legiſti commentarios ſuper Concilio Tridentino Optimi illius & mihi ſemper ob-

ſeruandi Patris Fratris Andreæ Vega Hiſpani ordinis minorum & regularis obſeruantiæ, qui cùm pro tua hac opinione Tridenti diſputaſſet, negans omnino certitudinem hanc poſſe iurè cõcedi, quæ amoueat omnem prorſus dubitationem uel metum uel hæſitationẽ uel denique formidinem; ſuperatus tandem a fulgore ueritatis, & (ut ipſe ingenuè fatetur) a ui argumentorum quibus aſtringebatur, & (uti non dubito) præcipue ab ipſa illius chriſtiani pectoris conſcientia & Spiritu ſancto, qui interrnè pro ueritate deprecabatur, noſtræ ſententiæ albo calculo ſubſcripſit: & ut par erat, aduerſus ea quæ iam diſputando longiſſimis ſermonibus concluſerat, palinodiam recinens, ſibypſi antepoſuit ueritatem, & pro illa, longo & efficaci ſermone certauit. Quod ego etiam de te ſperarem, ſi tu quoq; non, calore diſputationis, animi perturbationem patereris, nec adeò tua amares, nec ſperneres, ut feciſti, quæ in defenſione noſtræ poſitionis ad te reſcripſimus, & nunc iterum reſcribimus.

Vega li.ix. cap.xlvi. fo.ccxvi. & inde vſq; in finẽ li.ix

Concluſio ergo noſtra in quam mecum tandem conuenit ille Vega cõtra te, hæc eſt: poſſe in hominem, præter ſpecialem reuelationem tot & tanta ſuæ gratiæ argumenta concurrere, ut non ſolum poſſit, ſed etiam debeat (ut eius uerbis loquar) certò credere ſe eſſe in gratia, neq; uel tantillã de hoc admittere trepidationem aut formidinem, cum nulla ſe ſe offerre ualeat ratio aut cauſa dubitationis aut hæſitationis, quæ non confeſtim obruatur à maximis et præclariſſimis teſtimonijs & argumentis, quæ uiro fideli & ſapienti nec ignoranti miſericordias Domini, certiſſimam firmiſſimamq; conſtituant de appoſito certitudinem, ut nec ſi uelit, ualeat uacillare, modò quæ ſunt fidei et promiſſionis Chriſti conſtanter teneat. Non.n negamus poſſe aliquando etiam in ſanctis et perfectis ſurrepere aliquos motus dubietatis aut hæſitationis ſiue formidinis de ſtatu ſua. Quid mirum? cùm, ut do-

cet D. Thomas atq; adeò ipſa experientia, etiam circa ea quæ ſunt fidei catholicæ nonnunquam inſurgant, fide tamen ſalua. Vnde Spiritus per fidem purificans corda, & ſuæ præſentiæ fidele teſtimonium præſtans, cita fugat omnem dubitationem, & animam timore mœſtam & deprecantem, cui non eſt pax à facie peccatorum ſuorum, miris modis ſolatur, & uerba ponit in ore eius, ut dicat quàmcõfidentiſſimè: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniã exaudiuit Dominus uocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit. Quacirca illa trepidatio ac perturbatio, quæ à ſancto timore uenit, & quam Sancta Synodus commendauit, gignit in homine bonæ uoluntatis & humilis deuotionis ſpiritum inenarrabilis fiduciæ & pacificam præ-ſumptionis iuſtificationis certitudinem. Vnde eleganter D. Chryſoſtomus ſuper eo pſalmo: Talis, inquit, conturbatio eſt mater tranquillitatis, talis metus eſt fundamentum ſecuritatis.

Hoc igitur iam euicto, quod hæc certitudo omnem penitus formidinem excludat, corruit omnis diſputatio tua, quã in oppoſita poſitione fundaſti, non concedens huiuſmodi dari poſſe certitudinem omnis prorſus dubitationis expertem, & propterea non poſſe dari certitudinem fidei. Si enim omnem dubitationem excludit et formidinẽ certitudo hæc, quomodo poteſt eſſe niſi fidei certitudo, cum nec ſit opinionis, nec ſcientiæ, neq; cuiusuis alterius habitus intellectus? Opinio enim formidinem non excludit, ut propterea cogaris eam fidei eſſe certitudinem confiteri.

Verum adhuc unum reſtat, quod eſt etiam ut argumentorum abſtinendum. Permittere enim uideris tu quandoq; hanc certitudinem dici poſſe certitudinem fidei, at non diuinæ fidei, ſed humanæ. Quo in loco oportet primum te conſtituere differentiam inter humanam et

diuinam fidem, & ſua nota unamquanq; diſtinguere. Dicis autem hoc intereſſe, quod diuina fides excludit omnem dubitationem: humana uero non item. At eo ſtante quod iam concluſum eſt, hoc dici non poteſt. Iam enim conſtituimus, hanc certitudinem nullam admittere dubitationem neq; formidinem. Certitudo enim firmum ſemper imponit aſſenſum, quem profectò non habet, qui de alterius partis ueritate formidat. Quamobrem hoc formaſſe uidens Venerabilis ille

Vega li. ix. cap iii. in principio.

Pater Andreas Vega, cùm hanc fidem etiam ipſe uocaret humanam, coactus eſt confiteri, dari etiam humanam fidem quæ amouet omnem prorſus hæſitationem atq; formidinem: quod & ipſe, ut perpetuò à te ipſo diſſentias, aliquando concedis. Dixiſti enim te habere fidem, Vrbem Conſtantinopolim nunc eſſe, & ita certam ac firmam fidem, ut non ſit in tua poteſtate aliter credere. Hoc autem quid eſt, niſi prorſus omnem dubietatem ac formidinem excludere? Alioquin quæram de te ipſo, Vtrum abſq; ulla formidine credas te eſſe chriſtianum, hoc eſt, per Lauacrum regenerationis membrum Chriſti factum? Si te aſſeris de hoc dubitare aut formidare, certè ualde es miſer. Et me profectò pœniteret, de dogmate chriſtiano tractaſſe cũ hõie nutãte aut formidãte ne fortè non ſit chriſtianus. Sin autẽ, ut exiſtimo, huius rei fidem habes certam ac firmam: quæram iterum, Vtrum hæc ſit fides diuina, an humana. Si primum fateris: à tota cauſa decidiſti. Patet ergo homo certitudine diuinæ fidei ſcire ſe aliquando conſecutum eſſe gratiam. Si autem dicis, humanam fidem eſſe hanc, non diuinam, ergo humanæ fidei non repugnat omnem excludere dubitationem atq; formidinem: contra quod tamen tu tuis uerbis, iam tandem ſtatum quæſtionis figens, conſtituiſti, ut ex recitatis patet quàmmanifeſtiſſime. Hem ſentis tandem uim rationis?

Credo ſentiebas, & urgebaris argumento, & ideò (quanquam

ubiq; obſcurus atq; perplexus) temperaſti ſermonem, inter diuinam & humanam fidem hanc differentiam ſubijciens, quod diuinæ fidei repugnat falſitas in obiecta, humanæ uero non item. Hæc tua ſunt uerba, quæ, ne cauillis huc atq; illuc detorqueantur, & nunquam appareat ueritas, indigent explicatione.

Quæro igitur abs te, hoc obiectum quòd ego ſim in gratia, ſi illi aſſentior, eſt obiectum diuinæ fidei, an humanæ? Et aſſenſus quo illi aſſentior, eſt propriè aſſenſus diuinæ fidei, an non? Vide quid hic reſponſurus ſis, quia reuera quicquid reſponderis, ex tua doctrina confutabitur. Si enim aſſeres, eſſe hoc obiectum diuinæ fidei, & illũ eſſe aſſenſum ſimiliter diuinæ fidei, argumentabar ex tuis dignitatibus: Statuiſti enim.

Obiectum propriũ fidei (proculdubio diuinæ) non eſt niſi Deus, & illa quæ ad ſpem noſtrã pertinentia reuelata ſunt in ſacra ſcriptura, vel inde auctoritate Eccleſiæ deducta & expreſſa. Ergo illorum duntaxat eſt aſſenſus fidei.

Hæc ad literam tua ſunt uerba. Ex quibus manifeſtè concluditur, quòd ſi cui reuelatum fuerit de propria gratia, & crediderit, non ex fide diuina crediderit, quia obiectum nõ eſt diuinæ fidei, & omnino impoſſibile eſt, habitum ullum aut potentiam extendi ad obiectum extraneũ ac non proprium. Cum ergo non ſit fides diuina, ſupereſt ut ſit humana, quoniam inter humanam ac diuinam (ut ais) non eſt dare mediam fidem. Quòd enim diuina fides nõ extendatur ad ea quæ ab Eccleſia determinata non ſunt, in apologia meſuggillans, his uerbis declaras:

Perſiſtis exinde contendere in corroborationem tuæ cõcluſionis, quod homõ ex lumine fidei, non ſolum poteſt credere ea quæ ab Eccleſia determinata ſunt ut credantur: uerum extẽdi eius lumen ad ea etiam quæ ſunt in facti contingentia. Id quod quibus aut

tibus fuerit exceptum in congregatione theologorum, diſſimus laui ego in tractatu meo, &c.

Ecce quàm manifeſtè negas, fidei lumen extendi poſſe ad ea quæ nõ ſunt in Eccleſia determinata. Si quis igitur credat Deo reuelanti illi gratiam & charitatem erga ſe, non credet (iuxta tuam doctrinã) ex lumine fidei, id eſt, diuinæ fidei, & ideo humanæ. Et nihilominus contrà, ipſemet poſtea in apologia id contendis, quòd ubicunq; eſt ſpecialis reuelatio Dei, ibi, ſi ſuſcipiatur, diuina eſt fides & aſſenſus diuinæ fidei. Verùm quõniam hoc tu negas uſpiam ſcripſiſſe, ſed me id per calumniam tibi obiectaſſe, Videamus uter noſtrum in hoc peccauerit. Hæc tua ſunt uerba:

Nemo valet per fidem catholicam habere talem de ſe aſſenſum quod ſit receptus in gratiam Dei, præter illos qui ex priuilegio talem de ſe habuere reuelationem.

Qui erga talem habuere reuelationem ex priuilegio, per fidẽ catholicam præbuere illi aſſenſum. Hoc proculdubio uis uerborum deſignat, cùm exceptio debeat eſſe de regula. Quare erit fides catholica per te de obiecta non propria, ſiquidem tu ipſe catholicam fidem definiueris, in ys duntaxat uerſari, quæ determinata ſunt ab Eccleſia. Quis igitur noſtrum eſt calumniaſus aut aberrat? Forte dices, Ego de catholica fide intelligebam quum obiectum fidei declarabam. Cur igitur non explicaſti hoc dicebas, Obiectum fidei catholicæ eſt, &c? Et non ſimpliciter, Obiectum fidei, eſt, &c. cùm tu ſpecialẽ tuã illã fidẽ, et proprie fidẽ et diuinã fidẽ et parẽ catholicæ præ dicaueris. Et quum dixiſti, Lumen fidei non extendi ad ea quæ nõ ſunt determinata in Eccleſia, cur non explicaſti ſimili modo, dicens, Lumen fidei catholicæ? Quod ſi explicaſſes, nihil aduerſum nos cõcluſiſſes. Nemo.n. tã inſanit ut putet fidem catholicam aut lumen

fidei

fidei catholicæ extendi ad obiecta particularia et nõ uniuerſaliter pro-batam in Eccleſia. Quid igitur obſtat cur non merito exclamauerim, O doctrinam obſcuram, perplexam, inconſtantem, & contemptu magis atq; exploſione, quàm ulla ſtudio dignam, ne bonæ horæ peſſimè collocentur? Sed propter alias me cogis, ne quia ſic loqueris ut nemo ualeat quæ dicis capere, putent aliqui te oracula & myſteria effari de cœlo. Nam unde, quæſo, qua ſanna me corripis, & quam inuſtè, quam uis;

Petulcis exinde contendere, &c.

Equidem perſiſto in eo quod dixi, & quàmmaximè: non quidem cõtendere, ſed ſubſtinere, lumen fidei extendi ad ea quæ ſunt in facti cõtingentia ab Eccleſia non deciſa. Non dixi, lumen catholicæ fidei, ſicut uideris calumniari. Siquidem hoc potiſſimum egi in declaratione Decreti, ut pateret, hanc fidem quam nos defendimus, non habere obiectum catholicum, ac propterea non eſſe fidem catholicam, nec eius aſſenſum eſſe aſſenſum fidei catholicæ. diuinæ tamen fidei aſſenſum.

Etiã Vega hoc fatetur lr. ix. ca. iii. fo cxlvi B. et ca. xxxix fol cxcix. Dicõtra ipſum sotũ.

Primùm in eo libello unde tu hanc meam doctrinam, etiam eũ proterua contentione coniunctam eruiſſe finxiſti, & in priore eius libelli parte antequam meum conuerterem ſermonem in errata tua, poſtquam præmiſi nonnulla pro declaratione Decreti, rem concluſi his planè uerbis. Decretum ergo dicens, q̃ nullus poteſt certò ſcire certitudine fidei eui non poſſit ſubeſſe falſum, ſe eſſe gratiam conſequutum: non aliud ſignificare uoluit, quam quòd hoc obiectum particulare de illo uel illa quòd ſit aſſecutus gratiam, non eſt obiectum fidei catholicæ, id eſt, fidei uniuerſaliter comprobatæ: cui ſimpliciter non poteſt ſubeſſe falſum, &c. En quam euidenter declaro, nõ extendi lumen fidei catholicæ ad huiuſmodi particularia obiecta ab Eccleſia nõ cognita ſeu pro-

Verba autoris ĩ priori libello.

bata. Et ad tertium argumentum respondens, ita scripsit: Cùm hoc obiectum uidelicet de inœrentia gratiæ Dei non immediatè respiciat fides catholica, non potest sciri certitudine illa fidei, qua certò creduntur quæ sunt publicè ac certissimè reuelata. Et paulo post. Et proptereà non potest hoc obiectum, scilicet, me esse gratiam adeptum, simpliciter & merè habere à fide catholica cui non possit subesse falsum, ut ualeamus securè dicere: Hæc est mera ueritas fidei, quam uerissimam locutus est Deus.

Hæc ego in priore eius libelli parte, quæ attinet ad interpretationem Decreti. Sed & in posteriore, quæ habet defensionem catholicorum aduersum te, plerisq; locis exerte ac diluciдè idem exprimo & confiteor, quemadmodum ibi apparet, ubi ea colligo in quibus nos conuenire existimabam. Hæc igitur à me cùm tã perspicuè explanata sint, quid igitur tam audacter asseris, me secus docuisse, & in eo cõtentiosè persistere? Hæc erat nostra doctrina, quam si potes, uolo reprehendas: Lumen infusæ fidei, hoc est, illius infusi doni à Deo quod dicitur fides, non solum se se extendere ad obiecta quæ sunt in scriptura sacra expressa et ab Ecclesia decisa, uerum etiam ad cuncta quæ interne reuelantur siue inspirantur a Deo: eo quod proprium & adæquatum illius doni obiectum est quodcunque à Deo fuerit reuelatum. Siquidem, ut ait D. Thomas, fidei obiectum est ueritas prima. Quod si uerum esset quod a s, fidei obiectum salummodo esse quod proponunt scripturæ et Ecclesia Dei, sequeretur quòd antequam esset scriptura, non erant fideles neq; fides, & antequam multa ab Ecclesia determinarentur, non poterant ab ipsis maioribus apprehendi fide, et prophetæ, qui non ab Ecclesia, sed a Deo quæ postmodo scripta sunt accipiebant, non fide illa tenebant. Respondes autem ad hæc his uerbis:

Atqui quando obiectum fidei catholicæ aio illa penitus compre-

Digitized by Google

hendere quæ ab Eccleſia ſunt prepoſita, loquor nunc ſecundum ſet ueritatem, quando ſcripta eſt fides. Quid ergo deflectis ad ea quæ tunc labantur prophetis antequam ſcribetentur? Haud enim nego, quandoq; olim fuiſſe fidem extra ſcripturam: ſed iam tamen pta ſcripta nobis eſt.

Hæc tu Soto. Vnde duo quàm abſurdiſſima colliguntur. Primum, *quod fidei catholicæ obiectum mutatum eſt poſtquam ſcripturæ ſactæ ſunt: quo fit, ut quæ ſunt antiquorum patrum fides, non eadem ſit quæ nunc eſt noſtra.* Nam *antea, fides catholica ferebatur in ea quæ non erant ſcripta, neq; ab Eccleſia probata: modò non ita eſt.* Quis hæc audire uelit obſq; multa faſtidio ac tædio? Saltem meminiſſes Caietanum tibi manifeſte obſiſtere in com. ad B. Tho. 2.2. art. 5 propè finem commenti; ubi ait: Fides in nobis et apoſtolis et prophetis eiuſdem eſt rationis, ac per hoc in idem reſoluit. Conſtat autem quod illi immediate docti a Deo nō idea credunt, quia Eccleſia eis tradidit: ſed quia Deus dixit. Hæc ille aduerſum te manifeſte, ſed in re clariſſima. Nam & B Paulus aiebat, *quod eundem ſpiritum fidei acceperunt ipſi poſt ſcripturas ſanctas, quem maiores.* Gaudeo quod & hac etiam de re te reprehendit Reuerendus ille Pater Vega, & quidem ſeuera cenſura coarguit, & meritò. Li. ix. ca. iii fo exlui. B.

Porrò aliud abſurdum, quod tu in præſcriptis uerbis admittis, quis ferat? Videlicet, *quòd eorum quæ initio reuelabantur prophetis antequam ab Eccleſia probarentur, erat fides catholica.* Vnde ſequitur *quòd omnes tenebantur ea credere, eo ipſo quòd prophetis reuelata erant, quod eſt inſanum dictu.*

Plena eſt autem huiuſmodi abſurdis ac perplexitatibus tua hæc doctrina. Id uerò quamobrem, niſi quia diſcedit a uero? Hæc eſt enim doctrina uera, apprehendi fide quodcunq; à Deo nobis reue-

latum eſt. Nam etſi ea principaliter ad fidem pertineant quæ habent promiſſionem æternorum: attamen, quia (ut B. Thomas eleganter docet) quæcunq; Deus reuelat, ad illum finem referuntur, etiam lumen infuſæ ac diuinæ fidei ad hoc particulare de adepta gratia extendi non dubitamus. Et miror uehementer, cùm tu diuinam eſſe fidem confitearis quamdà ſpecialis ac priuilegiata reuelatio fit cuipiã de sua gratia & ille credit, tamen eſſe diuinam fidem neges, cùm atteſtãte mihi Spiritu ſancto & inſpirante (eſt.n. & in hoc aliquis reuelationis modus) illi teſtimonio fidem habeo. Quid.n. queſo, minus habeat qua impleatur ratio diuinæ fidei hæc fides, quam inſpirante Spiritu ſancto concipio, quàm illa quæ priuilegiatæ reuelationi aſſentitur? Si.n. obiectum ſpectatur, idem eſt, & ſupernaturale eſt, ad quod lumen naturale non poteſt attingere. Quòd ſi motus fidei reſpicias, hic etiam à Spiritu ſancto eſt. Quid hic erga deeſt quominus ſit diuina fides? Vrgebaris chariſſime hoc argumento, et à loco moueri coactus, paulatim cedere meipſis ueritati, non tamen ex toto: ſicut qui fine tortquentur non omnia confeſtim euomunt, ſed arbitrantur ex parte eos ſitendo abigent à ſe quæſtionem: ſed fallebantur. Nam qui ſapienter interrogat, iubet eum etiam atq; etiam ſublimem talli, ut rem penitus ut ſeſe habuit diſertè exprimat. Sic me tecum agere oportet Sata. Ais erga:

Si vis coarctare nomen vt dicatur diuina ex parte cauſæ, ſcilicet quia gignitur ea fides a Spiritu ſancto, nihil mea refert: tamen nõ eſt ſimpliciter diuina: ſed in modo retinet nomen moris humani, ex eo quod reuelatio non ſit ſimpliciter hoc modo diuino, ſcilicet vt omnino reueletur quod illud teſtimonium ſit diuinum. Hæc tu Sato. Permittis erga ratione cauſæ uocari diuinã, ſimpliciter autem diuinam negas. Igitur ut nata quæſtione tatum compellare ris faleri? Egane, queſo, coarctã nomen, an tu potius extra suos li-

Digitized by Google

mites extendis autoritate tua? An non illud (quæso) proprie diuinũ eſt & dicitur, quod uel Dei eſt, uel quod in nobis Deo autore fit, aut ipſo docente, nos facimus quod ad eum pertinet? Vnde ſacrificium dicitur res diuina, & diuinum officium quod pſalmis & hymnis et cãticis ſpiritualibus conſtat. Sic dixit Philoſophus; Furore percitos et melancolicos interdum diuina pati, quod arbitrobatur diuinitus aliquid agi in illis. Si igitur teſtatur nobis Spiritus ſanctus, hoc teſtimoniũ eſt humanum, an diuinum? Credo diuinum fateberis. Et cum ego hoc teſtimonium fide accipiam, fide humana accipio, hoc eſt, ſolummodo à naturalis luminis potentia ac uigore, an uero a ſuperiore lumine? Certè iam tu confeſſus es, quòd hæc fides in me gignitur à Spiritu ſancto & diuino lumine; & cum ys omnibus negare pergis eſſe fidem diuinam?

Ais, non eſt diuina in modo, quia retinet modum humanum: quia reuelatio non fit ſimpliciter modo ſeu more diuino. Quis has intelligat chimeras? Hic, quæſo, mos reuelandi ac teſtandi interne iuſtis ſuã iuſtitiam, nonne eſt Spiritus ſancti? Cur igitur non erit hic diuinus modus? Nunquid homo poteſt hoc facere, uidelicet, interne inſpirare ac reuelare? O me miſerum qui hæc perſequi conor.

At, inquis, Non eſt hæc reuelatio tam certa ſicut illa quæ eſt ex fide catholica, aut (ut more tuo loquar) ex fide ſpeciali priuilegiata. Ergo erit propterea minus à Spiritu ſancto? Quod ſi non audes dicere tam apertum mendacium, ſed eſſe a Spiritu ſancto fateris, cur non ergo diuina? Ebo tu, fides quam habes de Deo, & de Trinitate, diuina eſt, an humana? Credo diuinam dices. Putas autem tu tantam eius rei certitudinem habere quantam habuit Ioannes Euangeliſta & apoſtoli & prophetæ? Non credo ou debis aſſerere. Nec tamen, ſi ſapis, minus eſſe diuinam propterea fateberis tuam fidem, quàm ratio-

nem eius quod diuinum uocamus impleuerit: sicut non minus est homo qui in utero est, aut puer, quam qui uir fuerit & sapiens. Habent.n. & fidem diuinam existima, qui interdum aliquas dubitationis motus patiuntur, sed non expugnantur.

Dices, Quomodo potest esse diuina fides & certitudo, quæ secũ habet dubitationem, et cui potest subesse falsum, cùm nec fidei nomen mereatur? Primùm illud negamus, q̃ hæc fides & certitudo huius fidei secum ferat dubitationem: quia repugnat fidei et certitudini admittere dubitationem, iuxta ueram uocum acceptionem, ma & iuxta doctrinam tuam, qui contra hæreticos pugnans, uerè dixisti, certitudo è diametro pugnat cum dubitatione. At iam hoc, etiam Vega ad nostras partes ueniente ac pro nobis pugnante, euictum reliquimus. Quin etiam ipsemet fassus es, posse aliquem ad tantam gratiam peruenire, ut modo & more humano loquendi, aut nullam, aut certè tenuissimam dubitationem habeat suæ salutis. Quid est autem quod ais, More & modo humano loquendi? Nunquid mendaciter, sicut scriptum est: Omnis homo mendax? At qui suggerit ac testatur nobis Spiritus, non est mendax: ceu si credimus absq; dubitatione, credo res ille facimus. Cur igitur non sit uera fides & diuina? Quod .n. tu dicis hanc non mereri nomen fidei, tu solus dicis, & tacitè patres et nobiles autores taxas, qui illam absolutè eo nomine, sed immeritò te teste te magistro, nuncuparunt. De qua re latè in Expurgatione, & latius in assertionibus nostris.

Illud porrò quod sumis, Nam posse esse diuinam fidem ubi potest subesse falsum: declaratione indiget. Si .n. obiectum ipsum spectemus tantũ, ut sit sensus, quod non potest esse uera & diuina fides circa obiectum cui suapte natura falsitas non repugnat: falsum est illud assumptum. Non .n. repugnat huic obiecto, scilicet illũ esse in gra-

tia, falſitas. Quare nec per reuelationem ſpecialem & priuilegiatam poſſet credi diuina fide, ſtante illo quod ſumptum eſt: contra quod ipſe docuiſti. Quod ſi edoctus à B. Thoma dixeris: At licet illud obiectum ex ſe conſideratum poſſit recipere falſitatem: attamen, ut ſubeſt reuelationi diuinæ, non poteſt: ſi hoc inquam dixeris, ſimiliter licet & nobis dicere, quòd & hæc noſtra fides huius obiecti, quod ex ſe poteſt falſitatem admittere, tamen ut ſubeſt teſtimonio Spiritus & ab eo gignitur, non poteſt. Hic non uideo quid uideas reſpondere, niſi illud, quod miror potuiſſe unq; tibi & tanto logico & tanto philoſopho in mentem uenire. Ais enim, aſſenſum infirmum de articulo alias quo quanquam neceſſario, poſſe tamen eſſe falſum, & aſſentientē poſſe ſe decipi. Id quod, hoc exemplo declaras, actus in Apologia.

Diſputant verbi gratia philoſophi, an accidens quantitatis res diſtincta ſit a ſubſtantia, ſicut color. Illa autē propoſitio neceſſaria eſt, ſi uera eſt: & impoſſibilis, ſi falſa. Sed quia aſſenſus ille, Quantitas, alia res eſt quam ſubſtantia, non tollit omnem dubietatem, ſcimus quod ſic aut contradictorio modo aſſentiēs, poteſt decipi. Quare utraq; pars eſt opinio. Eodem modo loquimur de hac contingenti, Ego ſum in gratia. Si mihi hoc mihi Deus reuelaret ſpeciali priuilegio, ut Paulo eſſet certiſſima fides, cui non poſſet ſubeſſe falſum. Quum autem mihi communi lege reuelat Spiritus ſanctus per dulcedinem mētis quam mihi inſtillat, uel per alias coniecturas, quibus conuicio habitare in me eundem Spiritum, licet (ſub conditione loquendo) neceſſarium ſit, quod ſi aſſenſus ſit a Spiritu ſancto, idē ſit uerus: tamen quia non certo cognoſcimus eſſe ab illo, ſcimus quod poteſt hunc aſſenſum ſubeſſe falſum. Enumero ſimilibus coniecturis poſſem decipi.

Hæc tu Soto. Quæ & ſi in Expurgatione noſtra dignam caſtigationem acceperint: non tamen propterea ſuam hic cenſuram debēt euadere. Primum, quis unquam philoſophorum eam propoſuit quæſtionē,

An accidens quantitatis ſit diſtincta res à ſubſtantia? Cùm hoc ſit apud omnes compertiſſimum, omne accidens differre realiter à ſubſtantia. Illud ergo potius, non tamen apud philoſophos, ſed apud ſophiſtas in quæſtionem uocatur, Vtrum quantitas realiter differat à re quanta; non utrum accidens quantitatis. Ad hæc, eo poſito, q̃ quãtitas differat à ſubſtantia, ſeu re quanta, ut differt reuera, & theologus id tenetur fateri: falſum eſt quod ais, ſic opinantem poſſe decipi, ita ut poſſit eſſe falſa opinio illa, q̃ quantitas differat à ſubſtantia, cùm oppoſitum ſit impoſſibile. Quis .n. parum promotus in logicis hæc ualeat ſomniare? Certè Ariſtoteles, a cuius doctrina tua logica ualde diſtat, eam regulam nobis tradit: Ab eo quod eſt uel non eſt, propoſitio aut opinio uera cenſetur aut falſa. Et pari modo neceſſaria uel impoſſibilis: nõ autem ab aſſenſus noſtri firmitate uel infirmitate. Non .n. quia opinetur quis & non firmiter credat Deum eſſe, aut Deum eſſe trinum, ideirco illi aſſenſui poterit ſubeſſe falſum. Sicut ergo ſi Deus tibi reuelaret ſpeciali priuilegio tuam gratiam, illi aſſenſui quo tu illiuſmodi reuelationi aſſentires, non poſſet (ut ais) ſubeſſe falſum, nec tu aſſentiens poſſes decipi: ſic & illi iuſti quos Spiritus ſanctus informat de gratia ſua, aſſentientes teſtimonio Spiritus, non poſſunt decipi: id quod B. Thomas in eo ipſo loco Apoſtola planè docet. Imò tu ipſe perpetuò inconſtans ac tibiipſi aduerſans, in ea tua apologia id, ueritatis impulſu, confeſſus es his uerbis:

Cum autem Spiritus ſanctus interne vnicuiq; per indita & connectitas & quas ut vocas circumſtantias reuelat ſtatum gratiæ: adeſt quidem prima cauſa certitudinis, ſcilicet internum lumen, a quo qui manat aſſenſus non poteſt eſſe falſus & c.

En ut expreſsè & uerè dixiſti, quod aſſẽſus qui manat ab interno illo lumine Spiritus ſancti, non poteſt eſſe falſus, & conſequenter non poteſt

teſt decipi: & ſi, ut uis, non illi conſtet eſſe ſpiritum Dei, illius aſſenſus fabricatorem: Quod uerum ab omni prorſus uerisimili longè abeſt, uidelicet, Spiritum ſanctum mihi teſtari, & cum hoc, nolle mihi ſeſe inſinuare teſtem, cum teſtimonij uis in natiua perſonæ teſtis uerſetur: niſi uelit teſtari fruſtra: quod non eſt ſuæ bonitatis. Quocirca Beatus Ambroſius id perſpiciens, & ut clauderet ora ſophiſticæ, expreſſim ait, Spiritum ſanctum utrũq; efficere, hoc eſt et teſtari, et ſe eſſe teſtem oſtendere. De qua re latius in Expurgatione noſtra et in aſſertionibus. B.Ambro. in ep. xxii. l b.v.

Concluſum eſto igitur et cuicũ uel ex ueſtris rationibus et cõfeſſionibus, præter ſpecialem reuelationis priuilegium, concedi poſſe hominis iuſto certitudinem de ſua gratia, & certitudinem quidem fidei; non uimen catholicæ fidei, ſed diuinæ fidei quæ poſſit amouere omnem dubietatem ac metum ſiue hæſitationem ac formidinem: Cui licet ex natura obiecti poſſit ſubeſſe falſum, tamen ut a lumine diuino procedit & a recto examine conſcientiæ, ſubeſſe falſum nequaquam poſſit: Et qui habent donum diſcretionis Spiritus & diuinas regulas probãdi Spiritus Vtrum ex Deo ſint; si uis legitimè utentur, non poterunt decipi. Quia prouidentia Dei, ambulantes in ſimplicitate cordis et humilitate, ac propterea diligentes & quærentes tum oratione tum obſeruantia mandatorum Dei, ueritatem, prohibet ne ab hoſte decipiãtur. Vnde ſcriptum eſt: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Et: Si intrauerit ſapientia cor tuũ, et ſcientia animæ tuæ placuerit, cõſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, ut eruaris à uia mala & ab homine qui peruerſa loquitur. Hic præcipuè Diabolus eſt. Deniq;, quale eſſet Spiritus ſancti teſtimonium, ſi eo recepto, adhuc uerſari uellet nos in incerto, non faciens fidem, ſed in perpetua deceptionis periculo fideles & humiles & amicos ſuos manere dubios ac ſuſpen-

ſos, nec ferat ſecum lucem aliquam qua noſciualeat, utrum qui teſtatur, ſpiritus Dei ſit, An uerò Sathanæ? Quare hoc in loco te ad te ipſum remitto, ut metuas ne hæc tua opinio iniuriam faciat ipſius Spiritus bonitati.

Illud porrò quod ais, poteſt homo decipi in hoc, q poteſt putare eſſe Spiritum ſanctum teſtificantem qui tamen erit fortè Spiritus Sathanæ, cùm ille ſæpe ſe transfiguret in angelum lucis: nihil nos mouet. Nã hoc periculum, eſt etiam in altioribus reuelationibus, etiam in illa quã tu priuilegiatam uocas: quod multorum exemplis comprobatur, qui circa illam decepti sunt exiſtimantes certò & obſq; ullo dubio ſe ſpes ctalem à Deo habuiſſe & eloram diluci damq; reuelationem: Qui tamen comperti sunt ab Angelo tenebrarum decepti. Quòd ſi dixeris, Quando illa eſt uerè Spiritus reuelatio non poteſt eſſe decepto; etiam nos dicimus, quando eſt uerè illa Spiritus ſancti teſtificatio, impoſſibilis eſt decepto.

Quod nihil eorum quæ aduerſum ſententiã noſtram obieciſti habet quicquam roboris.

HVNC articulum et ſi ſatis explicauerim in Expurgatione ut hic uideatur ſuperfluum repetere, C nã & ex iis quæ ſuperius diſputata sunt, tu ipſe, ſi uelis illã philautiam parumper ab animo excutere, facilè poteris animaduertere, & qui tua leget attentè & cum iudicio, facilè hoc idem deprehendet) ne tamen dicas me non meminiſſe uel nõ conſiderasſe; hanc tuam cauſam paucis perſtringam, quæ obiecisti in libro De natura & gratia, tam in lutheranos, quam in nos, ut cernas contra nos nihil habere momenti.

Igitur ut quid aduerſus lutheranos moueres primum declares, dixiſti:

Propoſitum ergo hic eſt demonſtrare, quod certitudo quã quiſq; habet ſui erga Deum habitus & ſtatus non ſolum pẽdere ex diuina promiſſione per ſe abſolute cogitata, ſed ex ſua etiam ipſius operum qualitate.

Hæc tu. Et addis rationem, quoniam promiſſio huius rei conditionẽ habet, quæ pendet à facto & ab operibus noſtris. Ecce hoc primum tuum argumentum in illos, pro nobis facit: qui præter fidem, facto et opera noſtra dicimus adiuuare ad certitudinem: quam ne dum tu non negas, ſed etiam ueluti rem compertam, ab uno quoq; habere præſupponis.

Secundum ſimiliter argumentum pro nobis faciet, ubi ab interpretatione Bucer non abhorrens circa hunc articulum, tu ſcripſiſti:

In eiuſdem loci expoſitione Bucerus ait, quod articulus ille ſolum pœnitentibus & uere pœnitentibus & habentibus fidem viuam præcipit ſtatuere fide certiſſima, ſe aſſequi gratiam. Hic precor attenti ſint legentes omnes, quemadmodum iſti, qui ex principio tam a nobis diuerſo, controuerſiam hanc ſubmouerunt, quam tã ſolis differentes verbis nos deludant. Quis dubitat quin vere pœnitentes habenteſq; fidem viuam, ſalutem per Chriſtum obtineant? Quis nam autem ſit vere pœnitens, habeatq; fidem viuam, hoc eſt quod nos dicimus non poſſe certitudine fidei catholicæ deprehendi &c.

Hæc tu Soto. Ecce quòd tam fateris, Bucerum ſolum uerbis, nõ ſenſu à nobis eo in loco diſcrepare; quoniam ille fidem certiſſimam ſtatuit; tu ſolum negas catholicam. in quo nobiſcum es.

Tertium ſimiliter argumentum in eos, ſi quid concludit, concludit contra fidei catholicæ certitudinem; non contra illam quam defendimus. Ais enim:

Praua opera ſunt obſtaculo gratiæ. An vero in aliquo iniquo opere aut ſalutem cogitatione perſeueremus, nemo poteſt habere

certitudinem fidei catholicæ. Ergo neq; certus esse quisquã potest diuinæ in se existentis gratiæ.

Hic est Syllogismus, quem etiam expositorium uocas, (de quo te remitto ad logicæ peritos, apud quos arbitror te deridendum pentus exposuisse) & in conclusionem eruis (nisi per glossam aduues) prorsus extraneam, & manifestam fallaciam præ se ferentem: sicut qui ab eo quod est secundum quid, elicunt quod est simpliciter. Qui .n. debebas ex sumptis cõcludere: Ergo neq; certus esse quisquã potest certitudine fidei catholicæ, diuinæ in se existentis gratiæ; tu absolutè eõcludis, omnem modum certitudinis complectens. Erga (inquis) neq; certus esse quisquam potest diuinæ in se existentis gratiæ. Quæ cõclusio, si ex præmissis absolutè recipitur, neq; posset homo adulter & in adulteria perseuerans, certus esse se extra gratiam Dei esse, quia ex fide catholica ignorat se esse adulterum. Et hoc lucri nobis affertur ex Syllogismis tuis, & illis quidem expositorys mi frater.

Quartum argumentum & quintum, ad nos similiter nihil, sed uerè ad te, de qua te reprehendi, quum sumeres ut dignitatem,
Ad ea quæ naturalia sunt nemo obligatur.
Pudet etiam me tui honoris gratia, pigetq; responsionis tuæ, quam in apologia tua mihi reddidisti. Sed in Expurgatione nostra ita est consultum, ut nihil libeat addere nisi ut tu ipse consideres, neq; negligas famam tuam.

Sextum argumentum nihil ad nos. Septimum uerò etiam pro nobis, ubi ad responsionem quandam Buceri in hunc modum rescribis.

At vero soluto Buceri erat illis egregie festiua, scilicet quod fides facit hominem certum se esse in gratia quando habetur per motũ Spiritus sancti. Ecquis hoc vnquam dubitare potuit? Sed tamen quando ille motus sit a spiritu sancto, de hoc dicimus non posse haberi certitudinem fidei catholicæ.

Hæc tu Soto. En quàm clarè & nunquam re omni dubio carente con-cedis, fidem certos nos facere diuinæ in nobis existentis gratiæ, nõ ta-men certitudine catholicæ fidei, quod & nos dicimus. Et quanquam hoc in loco te errasse fateris in apologia, & aliud scripsisse quàm esset tuæ mentis; ego tamen non possum aliud putare, nisi te illud scripsisse à ui ueritatis impulsus: quod quũ postea admonitus attenderes tuis po-sitis aduersari; mutasti uerba: sed ita mutasti, ut malè cohæreant, quod in Expurgatione satis ostendi, & acutus lector facilè ualet depre-hendere.

Octauum item argumentum ita lutheranos expugnat, ut nobis uehementer faueat. In illo enim uniuerso tuo discursu non obscurè con-cedis nobis gratiæ certitudinem & consequenter assensum carentem omni dubitatione: siquidem te fatente, imò & in lutheranos hoc ob-tectante, dubitatio è diametro cum certitudine pugnat, ut qui certitudi-nem fateatur, simul dubitationẽ excludat. sed præstat et hic tua uer-ba colligere. Ais enim aduersus illos:

Quis adeo sit desipus, vt negare possit, eum qui totam vitam in-nocenter transegit, maiorem habere conscientiæ tranquillitatem & securitatem atq; adeo certitudinem gratiæ, quam illũ qui post-quam perditissime vixit, per motum fidei credit & fidit omnia si-bi condonari scelera & flagitia! Atq; ex duobus, qui ex inqui-nata sceleste q; vita respiscunt, ecquis sanæ mentis dubitet quin ille, qui pluribus pœnitentiæ fructibus scelera sua expianda cu-rauerit, certior illa ratione fiat suæ salutis, quam ille qui tantum à peccatis cessauerit!

Hæc tu Soto. Vbi clarè fateris gratiæ certitudinem ac propterea cõ-scientiæ tranquillitatem ac securitatem, præcipuè in eo qui innocenter uitam traduxerit, et in eo qui post peccata, plures pœnitentiæ fructus egerit.

Adiecisti & querelam quòd illi insimulant, & falsò criminantur huius iniquitatis, & iubeatis pauidas conscientias dubitare. Vnde et cõfiteris per bona opera cõstabiliri confirmariq; certitudinẽ nostræ salutis: nec posse nos habere certitudinem nisi quietæ conscientiæ. Et producens illo uerba Dilecti: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.

Magnum, inquis, hinc sumitur argumentũ quod certitudo nostra magnopere confirmatur ex nostra conscientia, quæ dubio procul ex operibus quammaxime pendet.

Hæc tu Soto. At nos quid amplius dicimus?

Nonum argumentum, quod tamen nullam habet faciem argumẽti, & nihilominus militare uis etiam contra nos, non aliud concludit, (si modo quidpiam concludit) quàm quòd homo fidelis non potest tam esse certus certitudine fidei se esse in gratia, quàm ipse certus est de articulis quòd Deus sit Trinus & Vnus, uel Christus Deus & homo: quod nos tibi, etiam sine argumentis, milies concessimus.

His igitur explicatis quæ aduersus lutheranos confloxi; superest ut quæ aduersus catholicos emisisti exponam, ut similiter ostendam aut nihil contra nos militare, aut imbecilla esse prorsus atq; infirma, & quæ facilè retundantur.

Primum est ipsa Lutheranorum confessio. Illi n. confitentur tanquã rem euidentem, quòd si iustificatio pendet aliquo modo ex operibus, nulla modo esse potest certitudo gratiæ quam est fidei catholicæ. quia de conditione nostrorum operum coram Deo non potest tanta haberi certitudo. Quare si nos uolumus certitudinem catholicæ fidei substinere, oportet non in operibus nos niti, unde peruenire tanta certitudo non potest, sed (ut Lutheram faciunt) in sola fide, ut sit firma promissio. Sed hoc argumentum, sicut et reliqua ferè cuncta, nũ

manifeſtat deceptionem: quæ falsò putaſti, nos defendere certitudinem fidei catholicæ, contra quam ſolum concludis. Quòd ſi cõtra nos illud exeras; gerit ſecum manifeſtam infirmitatem ac fallaciam. Dico infirmitatem, quia circa qualitatem & conditionem noſtri & noſtrorũ operum coram Deo lutheranorum auctoritate inniteris, qui ita opera ſpernunt & merita, ut nihil coràm Deo ualere illa affirment, & nihil ad certitudinem gratiæ promouere: contra quos tu tantopere laboraſti. Dico fallaciam, quia ita argumentaris, Opera non faciunt hanc certitudinem. Ergo ſi hæc certitudo aſſeritur, non ab operibus aſſerenda eſt, ſed à fide tantum, ut aiunt Lutherani. Hoc autem eſt hæreticum: Ergo nulla modo poteſt cõtingere certitudo. At hoc nil aliud eſt quã ſi quis uolens probare nullam eſſe hominis iuſtificationem, ſimiliter diceret. opera ex ſe ipſis non iuſtificant: ergo ſi iuſtificatio eſt, ex ſola fide eſt. Hoc autem Lutheranum eſt. Igitur nulla iuſtificatio eſt. Et non uidiſti nihil per hoc abſurdi contingere, ſi ponatur iuſtificatio nec à ſola fide nec ab operibus ſolum, ſed à fide ſimul manare atq; operibus. Et ſimiliter certitudo, ſi dicatur non ab ipſis tantum operibus conflari. Sed ab operibus ſimul cum fide, quæ habetur tum ſcripturis & Eccleſiæ, tum teſtimonio Spiritus ſancti. Nam his modis ipſa certitudo conflatur. Sentis ergo iam argumentum hoc primum uel non petere, uel ſi non petit, delaſſari penitus & euaneſcere à patenti fallacia?

Secundum argumentum eruis à doctrina B. Thomæ in propria quæſtione: concedis tamen, illũ ibi prætermiſiſſe expreſsè concludere cõtra certitudinẽ fidei; ſed hoc, ga nunq; fuerat ſuſpicatus, poſſe quenq; cogitare quòd reuelatio fidei catholicæ extenderetur ad particularem et proprium ſtatum huius uel illius perſonæ &c. En ut perpetuò illa errore laboras, quaſi nos fidei catholicæ certitudinem defendamus.

Quanquam fortè aliud hic intẽdis, quod alibi mordicus tenes, uidelis cet, quòd infusa à Deo fides non extendatur ad hæc particularia et cõtingentia propria illi aut illi. Et hoc putas te subsistere tuæ doctrinam B. Thomæ. Ego uerò & ipsum B. Thomam & B. Augustinum contra hoc tuum dictum produxi, eo quòd uterq; doceat manifestè, quòd homo potest ex lumine infusæ fidei suam ipsam fidem agnoscere, ac propterea lumen fidei extenditur ad hæc propria & particularia: quod tu negas. Augustinus enim ait: Fidem porrò ipsam (quam uidet quisq; in corde suo esse si credit, uel non esse si non credit) aliter non uimus, non sicut corpora quæ uidemus oculis corporeis &c. Non sic uidetur fides in corde in quo est, ob eo cuius est, sed eam tenet certissimo scientia, clamatq; conscientia. Cum itaq; propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, uidere non possumus: ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, uidemus: quia & rerum absentium præsens est fides; & rerum quæ foris sunt, intus est fides. & rerum quæ non uidentur, uidetur fides. Hæc ille. Tu uero quid ad hæc? Primùm, quòd ego falsissimè citaui autores. Non dixisti quòd perperam intellexerim dicta autorum, sed quod falsissimè citem illos. Quia uero hoc in facto consistit, & quam facillimè deprehendi uerius potest, nihil hic est negoty, nisi ut perspicuamus citationẽ meã, & tuam simul, quæ in scriptis utriusq; nostrum apparent, tum conferamus cum uerbis ipsius Augustini, ut palam uideamus, quis nostrũ falsissimè citauerit. Etenim ego, ut supra præscriptum est, citaui ad literam: Fidem porrò ipsam &c. Tu autem quomodo citas? Ais: Nota uerba Augustini: Video me credere si credo, & me non credere si non credo. Ego uerò cum ad hoc tam potens mendacium cogitationem meam flecto, nescio quid de te existimem, utrum rerum prudens & sciens te calumniari, ea scripseris: id quod esset uir flagitiosi

lib. xiii. de trinit. ca. i.

flagitaſſe ſeeleſti, an uerò (quod tu in me ſæpius obiectaſti) atra peratus bili, ea uerba legiſti, nõ quidem in B. Auguſtino ubi nõ sunt, ſed in phantaſtica quodam obiecto, quod paſſio & atra illa bilis tibi cõe fixit. Deo gratia eſt, Codices Diui Auguſtini ea uerba expreſſè habent ad literam ſicut ego citaui, non ſicut tu in apologia, ubi me falſiſſimè citaſſe tu uerè falſus, ſi non etiam fallens, auſus es incuſare: Vnde miratus sum, poſtquam te huius erroris admoniui, ſiue conſultò feceris, ſiue temere, quod non ſis dignatus emendare, nec te reprehenderit conſcientia:

Quod ſi dixeris, ita debuit intelligi Auguſtinus, ſcilicet, de actu fidei, non de habitu. Cur ergo aſti. Nota uerba Auguſtini, video me credere &c. Cum non ſint illa Auguſtini uerba, ſed ea quæ ego ipſe fideliter produxi. Nam & tu in priore libro ea fideliter produxiſti, ſicut & ego. Alioquin quæ nam fuiſſet illa doctrina & quàm illuſtris? Video me credere ſi credo? Quis de hoc poterat dubitare?

At uero tu theſauris logicæ ſeu dialecticæ, ut uocas, refertus, & magiſtraliter mecum agens, ais:

De actu loqui ibi Auguſtinum: non de habitu: quia videri habitus non poteſt. Vnde ais: Haud unq̃ ſomniauit Auguſtinus, q̃ quis videat habitum.

Quapropter inſcitiam meam corripiens, ſubiecisti:

Vide quo te præcipitat iſta dialecticæ ignorantia, quã tu publicè contemnendo confiteris perparum fuiſſe tibi curæ.

Eſto igitur prima quæſtio de ſenſu Auguſtini, utrum dicendo, Fidem ipſam, quam uidet quisq, de actu fidei intellexerit, an uerò de habitu; Tu de actu aſſeris, quia dialecticam calles. Ego uerò de habitu, quia B. Thomas ſic intelligit 2. q. 87. art. 2. Eſt n. ibi doctrina aperta ſanctis Doctoris, ſicut in Expurgatione noſtra planè oſtendi. Cui nõ

dignatus es reſpondere. Sed nec poteras, niſi dixiſſes, etiam ſanctũ Doctorem in illud ſe præcipitum eonecciſſe, quia Dialecticam ignoras aut. O mi Soto, quid ſi quis tibi pro me reſpondeat: Vide tu quò te præcipitet elata atq; nimia de teipſa præſumptio, & aliorum conteptus? Etenim magiſtraliter et tanq; in manu ferulam geſtans, me interrogas ut reſpondeam, Num tu uideas Deum eſſe trinum: ut ſi dixerem te hoc uidere, arguares me de falſo propter ignorantiam dialecticæ. Ego igitur ſic reſpondi. Quid ipſe uideas neſcio ſi autem de me interrogas, reſpondi quòd uidea Deũ eſſe trinum. Dixit enim Dominus diſcipulis de Patre ſuo: Amodo cognoſcetis eum et uidiſtis eum. Quomodo autem uidiſſe dicuntur Patrem, qui inuiſibilis eſt? B. Thomas exponit. Viderunt Chriſtum ſecundum carnem aſſumptam in quo erat Verbum, & in Verbo Pater: unde in ipſo uiderunt Patrem. Hæc ille. Imò ipſe Dominus qui dixit. Qui uidet me, uidet & Patrem meum. Nihil ergo abſurdi eſt dicere, quæ ſunt inuiſibilia conſpici per ea quæ uidentur. Ad eum modũ dixit B. Auguſtinus uideri animam per actus corporis, Sicut ſubſtantia per accidentia uidetur. Denq; frequentiſſimus eſt hic modus loquẽdi apud omnes patres. Vbi igitur eſt illud præcipitum meum ab imperitia dialecticæ?

De Beati Thomæ uerò ſentẽtia, quòd homo poſſit ſcire certitudine fidei ſe habere infuſam fidem, & Caietanum produxi hoc expreſsè declarantem, & reuera abſq; illius declaratione, ex ipſius B. Thomæ uerbis colligitur. 1. 2. q. 112. art. 5. ad ſecundum: ubi expreſsè ait, quòd qui habet fidem, certus eſt ſe habere fidem. Et manifeſtè de habitu loquitur, non de actu: & de certitudine fidei oportet eum loqui, ut rectè Caietanus exponit.

Illud uerò quod mihi opprobras, me publicè contemnere dialec-

ticam cum cæteris manifeſtis calumnys, quibus meæ famæ derogare conniteris, permitto tranſire. Ego.n. quamuis indoctus omnũ diſciplinarum atq; imperitus: attamen illas cola, & publicè ac priuatim, pro uirili, aduerſus contemnentes defendo. quod et in noſtris iam editis multis opuſculis ſatis patet. Verum ad rem unde digreſſus ſum, regredi iam admoneor.

Quòd attinet ad ſecundum hoc tuum argumentum ob autoritate B. Thomæ, ubi fateris, illum prætermiſiſſe hoc membrũ de certitudine fidei mecum ſentis. Quòd uero ob eam quam dixiſti cauſam prætermiſerit, non accipio. eſt enim commentum tuum. Illud item quod addis, quod B. Thomas excludens certitudinem ſcientiæ quæ eſt minor certitudo, multa magis cenſetur excluſiſſe certitudinem fidei, quæ eſt maior certitudo, nequàm minus conſideratè ab te dictum excipio. Si.n. hoc uerum eſſet ut ais, nihil haberemus certum ex fide: quoniã eorum quæ ſunt fidei non eſt ſcientia. Si enim eſſet, iam fides non eſſet: ſed maius lumen a minore non expellitur. Quocirca & in hoc te reprehendi, quòd non diſtinxeris certitudinem ex ſe, & quo ad nos: nec ſatisfeciſti reſpondens in apologia tua, quod in noſtra Expurgatione latè detexi.

Et quia error errorem parit, reprehendi regulam illam tuam, ut potè ex priore errore deductam, uidelicet Quotiens altera præmiſſarum eſt de fide, altera de ſcientia uel experimento concluſio quæ ſequitur non eſt de fide, ſed de ſcientia & experimento. Produxi Scoti autoritatem aduerſum te. Et Deo gratia eſt, quòd ille plus Pater F. Andreas Vega Hiſpanus aduerſum te hac in re, ſicuti in alijs nonnullis, pro nobis pronunciauit & ſcripſit. Quem non debuiſti cõtemnere, cùm & logicam et philoſophiam et theologiam profiteretur. Scotus. Vega in lib. viii. cap. xxxix. fol. cxcix.

Mitto illud ꝙ, ut errorẽ tuũ defenderes, adiunxiſti in apologia.

Reputaſſent philoſophi euidentem hanc illationem abſq; illa diſtinctione: Hæc eſſentia diuina eſt Pater. Et eadem eſt Filius, Ergo Filius eſt Pater.

Profectò non philoſophi, ſed ſophiſtæ & corruptores logicæ & philoſophiæ, illam illationem reputaſſent euidentem, iuxta formam ſyllogiſticam ſicut & in Expurgatione declarauí abunde. Et hæc ſatis de ſecundo argumento.

Tertium argumentum quod eſt: Habitus non extenditur extra ſuum propetum obiectum: non minus probat contra tuam priuilegiatam reuelationem. Quòd ſi quid probat: contra fidei catholicæ certitudinem probat. Quæ uerò in eo argumento perperam effudiſti, ſuperius notata ſunt.

Circa quartum argumentum, illud notaui, quòd tu gratiã, etiam in non prædeſtinatis, ponis eſſe effectum prædeſtinationis: quod ex ſe manifeſtat ſuam falſitatem. Nunc etiam illud noto: Primum id quod ſumis, Effectus prædeſtinationis non eſt in particulari, ſingulis notus per fidem, ſolum tua autoritate probas, & principium petis manifeſtè: quoniã de gratia quæſtio eſt, An ualeat nobis per fidem innoteſcere. Præterea, cum uocatio Dei ſit etiã prædeſtinationis effectus, manifeſtum eſt autem quòd eius uocatio nobis per fidem innoteſcit. ſupereſt ut falſum ſit omnino quod uniuerſaliter aſſumis, Effectus prædeſtinationis non eſt notus per fidem ſingulis, iuxta tuũ ſenſum.

De ſexto ac ſeptimo argumento, ſatis in prima diſputatione ſcripſimus: quæ etiam ſolum excludunt fidei catholicæ certitudinem.

Octauum argumentum, licet pari modo de catholicæ fidei certitudine loquatur, & ideo non contra nos: attamen intollerabilem continet errorem Euangelio & Chriſtianæ Religioni nimium aduerſantem. Ibi enim ais: Nullum initium ſuæ charitatis & gratiæ poteſt

in homine iuſto eſſe ita euidens, quod non ſit etiam commune exiſtentibus in peccato mortali quod ita probas.

Præcipua omnium teſtimonia ſunt duo. Primum eſt offerre vitam pro Chriſto. Maiorem.n.hac charitatem &c. Et tamen hæreticus tam firmo tãque excelſo animo dabit vitam in obſequiũ, vt putat, Chriſti, quam legitimus chriſtianus.

Et *in lib. primo, cap. xxy, ut idem probares, hæc ſcribis,*

Talem omnino amorem Dei in ſe experiuntur infideles & hæretici quantum ad ſubſtantiam, qualem catholicus, eodem q; feruore & conatu mortem oppeteret pro ſua fide.

Hæc tu Soto. Et *in fine libri tertij, ut ſigillum tuæ doctrinæ illi cõueniens adhiberes, ſcripſiſti:*

Quis dubitat quin hæreticus eodem robore animi & ardore (vt putat) charitatis ſe ſe offerat martyrio, atq; verus Chriſtianus? *Ego uerò hoc adeo peruerſum dogma exhorrens, & ad Reuerendiſſimos illius Synodi Præſidentes ſcribens, monui te priori meo libello hac de re, cùm inter magna fidei noſtræ argumenta, agones & conſtantiam martyrum ſancti Patres annumerent, ut dixerit B. Hieronymus: Si fides noſtra uera non eſſet, nunquam ſanguine defenderetur. Et Eccleſia Dei ad canonizationem martyris, hoc tantũ quod ſanguinem fudit pro Chriſto, requirit: quod leuiter ac temerè faceret, ſi non gratiæ certitudinem illa paſſio importaret.* Recitabo uerba monitionis meæ, *quæ ſunt hæc: Illud omnino falſum & periculoſum quod ait:*

Quinimo hæretici omnes, ſuorũ errorum quos catholicos exiſtimant, tantam habent certitudinem, quam nos articulorũ fidei. *Quanquã enim loquatur de certitudine quæ eſt ex parte ſubiecti, ait tamen nec uerum eſſe dictum, nec quouis modo probabile, &c.* Et *non multo poſt. Iam de martyribus, quod ipſe uult, omnes martyres*

ſpeciales habuiſſe reuelationes ſuæ inexiſtentis gratiæ, & nõ ex ſpiritu & ardore, quem ſentiebant in cordibus ſuis, & fortitudine plena gaudy ſancti & cœleſtis eã potius notitiam accepiſſe; credo longè eum fallit. Et quod comparat martyrem hæreticum martyri uero quantum ad plenitudinem cordis & effectus charitatis, quas ipſe pũtat naturaliter, aut alia uia prouenire poſſe. & falſum & periculoſum ualdè exiſtimo, ut potè contra ſcripturas & ſanctos Patres: Quocirca fraternè virum de hac admonea, quia nimium tribuit naturæ. Nam & huius rei tractatum alij libro reſeruo. Hæc ego tibi. Tu uerò in Apologia reſpondes in hunc modum.

De illo vero in calce demum cum omnibus qui nos legerint, de te conqueror honorãde Pater, quam me graviſ in iniſtrum ſenſum traduxeris, quod ſcilicet contra ſcripturas & ſanctos patres comparauerim martyrem hæreticum martyri vero quantum ad *plenitudinem* cordis & affectum charitatis: ac ſi ego adeo fuerim mẽte alienatus, vt pſeudomartyri veram tribuerim charitatem, quæ eſt in legitimo. Numquid hac de cauſa diſtinxi de certitudine gratiæ ex parte obiecti, & ex parte ſubiecti? Quod ergo nos diximus, illud eſt penitus, quod manifeſtiſſimo & irrefragabili experimento vniuerſi norunt qui hæreticos comburi oculis conſpexerunt. Videmus n. plurimos multo maiori alacritate feſtinare ad rogum, quam aliquis forte chriſtianus in charitate iret damnatus a Turcis. An negare poteris quin ille tam certus apud ſe ſit, tamque ſecurus (licet non tutus) ſe mori in gratia Dei, quã eſt quiſpiam forte ex chriſtianis exiſtentibus in charitate! Alias quomodo exuri ſe vellentẽ, & bulienti oleo ſummergi tam exultabundus gauderet! Illam ego voco certitudinem ex parte ſubiecti. Quid ergo ais, me loqui contra ſcripturas & contra patres, qui ſolas hiſtorias rerum geſtarum refero? Aut quid tanquam per ſe notum ſupponis, quod nemo certus poteſt die emuſq; rei quæ falſa ſit, niſi ſecundum ſcholaſticos, qui incredibile multa commẽtiſcuntur! Ita .n. tibi conſultum putas ſi ſcholaſticos derideas. Numquid et

NOTA.

vulgo & apud omnes ſapientes, nõ certus ille dicitur qui ſecurus eſt, & abſq; vlla dubitatiõe aliquid credit? Illi hæretici iureiurando ibi affirmabunt, adeo ſe eſſe certos de ſuis erroribus, vt ſint certi de fide catholica. Et quicquid de nomine ſit, illa experientia ſatis nobis eſt ad conuincendum, nullam eſſe coniecturam, quæ ſufficiat abſtergere omnem dubitationem quod ſumus in gratia: quandoquidem illa, quæ maxima eſt, puta, quod animã quis ponat ſuam, nõ eſt irrefragabile teſtimonium charitatis.

Hæc tu Sota plena erroribus & calumnia. Quod enim tu primum ais, me tuam ſiniſtrum ſenſum traduxiſſe, ea quod dixerim te comparaſſe martyrem falſum martyri uero quantum ad affectum charitatis: calumnio eſt. Ego .n. non quantum ad affectum, ſed quantum ad effectum ſcripſi. Deo gratias, ſunt codices impreſſi mihi irrefragabiliter atteſtantes. Illud autem clare dixiſti quod ſincerè recitaui. unde elicuiſti non poſſe ex ipſis actibus innoteſcere donum charitatis, etiam ex illa ſumma charitatis opere, quod eſt extrema pati: cùm & hunc effectum poſſint peccatores & hæretici pari robore & ardore animi producere. Cur igitur tu me tam ſæpè & tam manifeſtè falsò calumniaris? Iurè igitur mihi competit ut conquerar aduerſum te, quia quod tu me feciſſe falsò obiecta, tu uerè feciſti. & quod eſt peſſimum, etiam admonitus, factum non emendaſti. qua uero cõſcientia, ipſe uideris.

Venio nunc ad ea quæ ſunt doctrinæ. Defendis in eadem loco tuam de certitudine diſtinctionem, & uis propriè dici certitudinem de re falſa, ita ut ille propriè certus eſſe dicatur, qui firmum aſſenſum perhibet rei falſæ. Ego uero cùm contrà ſtatuerem, quia tamen uerebar ne alicuius ſcholaſtici fretus auctoritate, illam diſtinctionem præmiſiſſes dixi, & ſi quis fortè ſcholaſtica quauis uſurpatione dixerit, certitudinem eſſe ſalam adhæſionem ad id quod uidcatur eſſe uerum

cùm non ſit, ſed ſolum appareat: per me licebit quidem: cùm alia etiã plura ineruditè commniſcantur: ſed hoc apud doctos non recipi, mihi certiſſimum eſt. Tu uerò perpetuò illiberaliter mecum diſputans, et ſenſum meum inuertens, accepiſti uerba mea tanquam aſſeuerantis, me contra ſcholaſticos illud ponere: cùm ego dixerim. Si quis forte ſcholaſtica uſurpatione &c. Ego .n. ſciebam hoc ſiue tuum, ſiue cuiuſcuius alterius commentum, eſſe contra B. Thomæ doctrinam, ſicut proxime dixi: quem tamen inter ſcholaſticos ipſe puto cõnumeras. Poſtmodo uerò comperi & Durandum & Capreolum idem prorſus ad literam obſtrepere quod ego. Cùm n. Durandus id ſumeret in quodam argumento tanquam per ſe notum; Capreolus hoc illi ultro conceſſit his uerbis:

Ad primum contra tertiam concluſionem dicitur, quod non omnis firmitas adhæſionis propriè dicitur certitudo, ſicut argumentum benè probat: ſed illa firmitas quæ eſt de firmo & ſtabili tanquam de obiecto, poteſt dici certitudo. Solum autem uerum poteſt eſſe firmum et ſtabile, non autem falſum; ideò firmus aſſenſus hæreticorum uel aliorum errantium non poteſt dici propriè certitudo: quo talis aſſenſus, licet habeat firmitatem ex parte ſubiecti, non tamen ex parte obiecti: imò omnimodam fragilitatem & infirmitatem, cùm ſit falſum, & firmæ ueritati contrarium. Similiter talis aſſenſus uel adhæſio non habet firmitatem ex parte medij propter quod oſſentitur. Secus eſt de fide, cuius adhæſio firma eſt ex parte obiecti cui oſſentitur, & ex parte cauſæ propter quam oſſentitur, quæ eſt Veritas prima, ut ſæpè dictum fuit. Item cùm dicimus, q firmitas adhæſionis eſt certitudo; non intelligimus de qualibet firmitate nec de qualibet aut de cuiuſlibet obiecti adhæſione: ſed tantum de firmitate adhæſionis intellectus ad ſuum cognoſcibile. Hoc autem non eſt niſi uerum. quo falſum

non eſt

non eſt cognoſcibile. De hac S. Thomas 3 ſent. diſtin. 26. queſt 2. art. 4. In corpore autem ſic dicit: Certitudo propriè dicitur firmitas adhæſionis uni tutii cognitiuæ ad ſuum cognoſcibile, &c. ut dicetur ſequẽti diſtinctione. Et iſta eſponſio eſt melior alia. Hæc Capreolus. Ecce igitur quàm turpiter redargueris ab ipſiſmet ſcholaſticis, quorum tamen te unius autoritate oſtentabas, & me increpabas (etſi nimis impudenter ac falsò) quod eos derideam.

Capreolus in .iii. ſent. diſtin. xxvi

Illud uerò quam aſtute, quòd cùm uulgus & ſapientes pro tua ſententia adduceres nullum tamen produxti niſi hæreticorum iuſiurandum, qui mihi (ut inquis) affirmabunt, ſe ita certos eſſe de ſuis erroribus, ſicut ſunt certi de fide catholica. Quis hic non exclamet? Sed parcam. Rogo te, hæreticum illum illud iurantem, utrum dixeris uerum iurare, an falſum? Si falſum, contra te militat argumẽtum. Si uerum, etiã contra te militat. Si .n. tam certi ſunt de ſuis erroribus, quam certi ſunt de fide catholica, conſtat autem quòd de fide catholica minimè ſunt certi, planè ſequitur quòd neq; de ſuis erroribus certi ſint. Nam reuera ſi hæretici in autoritatẽ efferendi ſunt, in hoc articulo proculdubio tibiipſi aduerſantur. Nam quùm oſſerunt ſe certos eſſe, non de certitudine ſolummodo ſecundum ſubiectum intelligunt: alioquin nihil dicerent: ſed de illa quæ etiam ſecundum obiectum eſt.

Venio ad dogma illud quod ego cenſeo nedum falſum, uerumetiã noſtræ religioni aduerſum, præſertim quod ita fauet hæreticis matrymonibus, ut etiam illos præferat noſtris, cùm dicat (quod iterum referens perhorreſco)

Quod ergo nos diximus, illud eſt penitus, quod manifeſtiſſimo & irrefragabili experimento vniuerſi norunt qui hæreticos comburi oculis conſpexerunt. Vidimus .n. plurimos multo maiori

alacritate feſtinare ad rogum, quam aliquis forte chriſtianus in charitate ita damnatus a Turcis.

Hæc tu. Quæ etſi in Expurgatione noſtra ſatis idoneè confutentur; in aſſertionibus tamen etiam latius. Nunc igitur ſolum recumbo quæ aduerſum te, Vir honorandæ memoriæ Frater Andreas Vega, circa hunc articulum pro nobis ſcripſit: Non eſt quidem (inquit) æquandus uerus martyr falſo martyri, neq; quo ad affectũ, neque quo ad effectũ: ut egregiè profecto & eleganter ante nos diſſeruit doctiſſimus Epiſcopus Catharinus in expurgatione ſua. Quin et is qui in lætali peccata mortem pro Chriſto pateretur, multis nominibus uinceretur ab eo, qui eam cum gratia toleraret. Nam in peccatoribus neq; abſoluta eſt ueritatis cognitio, neq; uera lætitia, neq; ſalida pax & conſtantia. Neq; erraris tantæ ſunt uires, quantæ ueritatis. Et hæreticorum morientium pro ſua hæreſi, quæ uidetur alacritas & fortitudo & cõſtantia, non fortitudo eſt, ſed inſania, furor, immanitas, mentis cæcitas, deſperatio, et auiditas gloriæ, atq; obdurata quædam et nimium pertinax propriæ ſententiæ dilectio & fiducia. Hæc ille.

Vega, in lib viii. cap. xliii. fol. ccxiii. D.

Quin etiam contra ea quæ tu in Apologia, uolens cõmendare incertitudinem gratiæ, adieciſti, experimento eorum qui deceduntˌ quos uix poſſunt (ut ais) ſapientiſſimi homines ſecuros reddere, & abſq; omni metu pacatos: Idem Vega poſt nos in hunc modum ſcripſit: Illa inſuper quies & ſecuritas qua pleriq; migrant de hac uita, illud ardens deſiderium quo charitas cum perfecta fuerit, clamat: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto: illa lætitia qua permulti exultant, dum, intelligentes ſibi propinquum eſſe diem mortis, dicent cum Dauide: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. Alacritas etiam, & admiranda conſtantia martyrum, & deſpiciens tua omnium tormentorum, quam præ ſe ferebant: quid aliud ſunt quã

Vega ĩ li. ix cap. xlvi. fo. ccxviii B. in calce.

teſtimonio opertiſſimo certitudinis moralis, quam habebant de ſuo iuſtitio & gratio apud Deum? Non ſic cauſtaient adueniente morte: non ſic illam deſiderarent: non ſic lætarentur in tormentis, neq; tanta quiete & placiditate animi de hac uita decederent qui hæſitarent, & duby ſeu anciptes & anxy eſſent de ſuo ſtatu. Vnde & Ambroſius in expoſitione illius uerſiculi, Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine &c, de iuſtis, quorum bona uita præceſſit, & mors eſt præciosa in conſpectu Domini, ſic ſcribit. Videmus in ſeculo innocentes, lætos ad iudicium feſtinare odiſſe moras celeritatem affectare iudicy. Beatus inq; ille, qui cæleſte iudicium lætus expectat. Scit n. ſibi regnum cælorum, angelorum conſortium, coronam quoq; bonorũ repoſitam eſſe meritorum. Hæc ille. Idemq; de Hilarione, Marcella, & Paulo, aliorumq; ſanctorum exemplis, doctè & elegantèr oſtendit eruditiſſimus Epiſcopus Catharinus in Expurgatione ſua. Verè etenim plerique ſunt parati in occurſum iudicis et patris familias noſtri omnium, ut cùm ille ianuam pulſauerit confeſtim, hoc eſt, ſine aliqua trepidatione aperiant ei & gaudentes, à nocte huius uitæ ueniant ad lucem ut manifeſtentur apero ipſorum. Quod ſi haberi non poſſet aliqua certitudo de his: nunquam tanto ſtudio niterentur pyiura peccatis & quietos reddere eos, quorum morti ſunt præſentes, & de quorum bona uita & ſancta morte, ipſi tuti & ſecuri ſunt. Eandem certitudinem ſuæ bonæ uitæ uidetur habuiſſe Ezechiel quum orauit Dominum, et ex fiducia ſuæ bonæ conſcientiæ dixit: Memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim. Nam hanc orationem ueram fuiſſe, & Deo non diſplicuiſſe manifeſtè oſtendit diuinum reſponſum: Audiui orationem tuam. Hactenus Vega. B. Ambro. ſuppl. cxviii.

Præterea nunc quæ de conſcientiæ teſtimonio adiunxiſti. Nam

in aſſertionibus noſtris hac de re abundè contra ueſtram periculoſam doctrinam pertracta.

Hactenus ea tractauimus argumenta, quibus aduerſus certitudinem gratiæ decertaſti in prioribus tuis libellis. Vnum ſupereſt, quod ex eadem logicæ ac theologiæ officina depromptum, in cõmentarijs tuis ſuper Epiſtolam ad Rom. cõtra aſſertores certitudinis gratiæ inſeruiſti. Trahens in illum locum Apoſtoli ubi ait: Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus: poſtquam præmoniſti nos, dicens:

Quẽ maxime animaduerti opto ab aſſertoribus certitudinis gratiæ, ne vlterius de illo teſtimonio Spiritus ſancti allucinentur.

Tum hac pacta argumentaris:

Quemadmodum nobis non ſemper certo cõſtat de petitionibus noſtris, vtrum dictante Spiritu ſancto fiant, an alter ſit Spiritus qui fiant in nobis: ita neq; certo ſcimus vtrum habitet in nobis Spiritus ſanctus.

Hoc eſt argumentum tuum, ſi modo ſpeciem aliquam habeat argumẽti: niſi idem ſit effutire temere, & argumentari atq; ex præmiſſis concludere. Ex hac in quòd non ſemper conſtet dictare Spiritum ſanctum petitiones noſtras, concludis abſolutè, non poſſe nos certò ſcire, utrum in nobis habitet, id eſt, nunq; id poſſe certò ſcire. Quare ex tuæ logicæ doctrina, à NON SEMPER *ſequitur* NVNQVAM. *Et ys præclaris emblematibus adornaſti commentaria illa tua.*

Dicendum nunc eſſet de teſtimonys quæ pro incertitudine produxiſti de ſacris ſcripturis, & de antiquis patribus ac ſacris doctoribus, et de ſcholaſticis. Verùm quoniam de his in priori libello noſtro & in Expurgatione ſatis eſt demonſtratum: & in aſſertionibus abundius: hoc in loco duo tantum aut tria commemorabo: ut ex ys tu ipſemet recognoſcas, utrum uolueris reuera et bona fide diſputare, an potius illudere. Ecce de ſcripturis, præter ea quæ uulgus nouit, ad-

duxiſti ſententias: Quis poteſt dicere mundũ eſt cor meũ? purus sum a peccato? Et: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Et. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſecurus. Nunc, ut paucis agam tecum, circa illud primum. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum etc. quæro abs te, utrum putas nemunem poſſe hoc dicere, quia ſi diceret, falſum diceret. Credo ſi ſequeris communem doctorum expoſitionem, ita dices. At ex hoc non ſolum ſequitur, neminem poſſe ſcire ſe eſſe mundum, ſed abſolutè neminem eſſe mundum. Tu uerò ſi hoc concedis, & de immunditia ſentis quæ cum iuſtitia eſſe non poteſt. ad lutheranorum partes tranſis. Senſus ergo illius loci, ex doctrina B. Auguſtini eſt, quòd nemo poteſt uerè dicere, Mundum eſt cor meum: quia nullus homo habet in hoc mundo perfectam illam munditiam de iuſtitiam, quam exigeret rigor debiti, ita ut non indigeat lauari ſaltem pedes: quanquam et caput & manus mundas habeat: quod ſatis eſt ut uerè coram Deo placeat, et mundus dicatur. Vnde Dominus hoc declarans myſterium, dixit. Qui lotus eſt non indiget niſi ut lauet pedes, ſed eſt mundus totus. Et ſubdidit: Et uos mundi eſtis. Beatus autẽ Ioannes Chryſoſtomus, exponens illum locum, dixit: Nemo poteſt illud dicere tanquam gloriabundus, quaſi ex ſe munditia habuerit & non à Deo. Cuius expoſitioni plane atteſtatur hebraica ueritas, quæ, teſte uel Caietano, ſic habet: Quis dicet mundauit cor meum? purgauit à peccato meo? Quod Caietanus exponẽs, adiecit: Quaſi dicat, nullus. Non eſt enim hominis operatio purgare cor, & purgare illud a proprio peccato, etc. Quẽ ſenſum etiã B. Hieronymus in eo loco tradit. Vnde nihil ad rem noſtrã locus ille. De ſecundo autem loco illo: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: uix eſt ut digner reſpondere: nec quidem facerem, niſi ſenſum nedũ falſum, ſed etiam periculoſum inde eruiſſes, & contra

Prouer. xx. & xxviii. Eccle. v.

Chryſoſt.

uammet doctrinam. Vis nã erga conſcientias omniũ hominum ſemper eſſe pauidas. Nunquam erga peccatas perſuaſione acceptæ iuſtitiæ: quod eſt horribile. Vnde merito hæretica uos ſuggillant: imo quod eſt atrocius, ueſtros errores Eccleſiæ aſcribunt. quaſi quod uos ueſtris diſputationibus blateratis, illud Eccleſia ſentiat. a cuius ſpiritu hæ ueſtræ interpretationes tam abſunt, quàm occidens ab oriente. Nõ quea interdum me continere iuſta indignatione ac zelo ſcripturarum incenſus, quum huiuſmodi prophanitate effundam. Sẽſus ergo illius loci uerus hic eſt, q̃ a iuſtificatione non debet homo tam efferri ac ſecurus fieri, ut putet iam ſe perfectum ſed cum timore & tremore operari ſuam ſalutem, & cauere ne excidat, & aſſiduè per opera bona implere illud: Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, etc. Hunc ipſum ſenſum habet tertius locus quẽ produxiſti: De propitiatu peccatorum etc. quãd etſi quis nouerit ſuorum peccatorum propitiationẽ; non debet inde ſecuritatem arripere ad peccandũ ulterius, dicens: Peperciſt mihi Dominus, etiam iterum parcet. Qui ſenſus apertus ex græca litera capitur, quæ ad uerbu hoc ſonat: De propitiatione ne ſis ne timore ſis ad addendum peccatum ad peccatum: & ne dicas, Misericordia ipſius multa eſt. multitudo peccatorum meorum propitiabitur ſeu remittetur. Et hoc eſt quod dixit Dominus: Ecce ſanus factus es: noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.

De patribus item & ſcholaſticis quos pro tua opinione producis; ſimiliter exemplum unum aut alterum proferam: ut inde appareat, uos lectores decipere qui parum attendunt, dum alia deturpatis, & detruncatas eorum aſſertis ſententias. Ecce adduxiſti Chryſoſtomum homilia xxxxviij in Matthæum in opere imperfecto, ubi ait: Nemo eſt tanta firmitate ſuffultus, ut de iuſtificatione ſua debeat eſſe ſecurus. Hæc certè uerba, non alium ſenſum porrigunt, quam

eum qui de ſuperioribus ſcripturis eductus eſt: ut qui iuſtificatus eſt, non ſit de futuro ſecurus, putãs eſſe omnia in ſe perfecta. ſed oportere renouari de die in diem, & ſe ad ulteriora extendere, & ea quæ retro ſunt obliuiſci, ut comprehendat, & ad ſcopum ſuæ uocationis perueniat. Quem ſenſum ſatis probant quæ ille Doctor continenter adiecit, ad quæ te relega, ne in nimium manifeſtus prolixior ſim.

Nam quod ille Doctor ſanctus pro nobis militet, in Com. ad Roma. nimis manifeſtum eſt. Ille enim exponens locum illum: Spiritus cõteſtatur ſpiritui noſtro, uel cum ſpiritu noſtro: & uolens per hanc B. Pauli doctrinã omnem dubitationem ac formidinem ab animis noſtris fidelium prorſus excutere: quia uidebat multos parum ad Dei dona reſpicere, non exercentes ſpiritum fidei: dixit. Idem ſpiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro, inquit, quòd ſimus filij Dei. Neq; n. ab ipſa tãtùm uoce id affirmo, ait, ſed & a cauſa, à qua uox ipſa nata eſt. Spiritu enim dictante atq; in uerba præcunte, hæc dicimus. Quod quidem alibi apertius declarans dixit: Miſit Deus ſpiritum ſuum in corda noſtra clamantem Abba Pater. Quid porrò ſibi uult, Spiritus unà cum ſpiritu teſtatur? Paracletus, inquit, cum dono nobis dato. Non enim dom ſolum uox hæc eſt, ſed & Paracleti, qui donum largitus eſt. Nam hic ipſe nos per donum docuit ſic loqui. Cum autem Spiritus teſtatur, quæ tandem reſtat ambiguitas? Nam ſi uel homa, uel angelus, uel archangelus, uel alia huiuſmodi poteſtas hoc polliceretur, par conueniensq; eſſet nonnullos hæſitare. Cùm autem ſumma Eſſentia, & ea quidem quæ hoc largita ſit donum, uel ab ys unde preces fundere iuſſit, nobis teſtimonium afferat: quis tandem de dignitate ambiget? Hæc ille. Quibus, malum, cùm urgereris, obſecro, quàm atrociter laceras, et in ſenſum inanem traducis? Ais enim:

Chryſoſt. hom. xiii. ad Roma.

Hæc autem & ſi quæ ſunt id genus apud ſanctos talia, quæ obiectari nobis ſolent ab iſtis aſſertoribus certitudinis gratiæ: nihil aliud comprobant, quam quod ſpiritus Dei non eſt de ſe fallax ſicut ſpiritus creaturæ. Inde tamen ſolum colligitur, quod vbi certus ego eſſem, hunc qui mihi loquitur, eſſe Spiritũ ſanctum, certus continuo fierem, verum eſſe teſtimonium.

Hæc tu Sato. Ego uerò uehementer admiror, quo præſtigio captus non uideris primùm uerba ipſa Chryſoſtomi eum ſenſum non ferre. Ipſe.n. non dicit, ut tu uis, quòd quando Spiritus teſtatur, ex ſe non fallit: ſed quòd quando ille teſtatur, is cui atteſtatur non debet quouis modo ambigere de eo quod teſtatur Spiritus: ſed credere firmiter ita eſſe: quia etſi homo & alia quæuis creatura ex ſe uoleat mentiri: Spiritus ipſe qui eſt Deus, non poteſt. Alioquin, qui ſenſus eſſet id ſolum dicere, quòd quando Spiritus teſtatur, ille ſit uerax? Præterea, quomodo adhuc nõ uides abſurdum, quòd loquatur mihi Spiritus, & ut ad Galatas dicatur, clamet ipſe in me, nec tamen norim eſſe, imò nec noſſe poſſim illum eſſe qui mihi teſtetur? O teſtimoniũ fruſtra. Et adhuc me immeritò infomas in tua Apologia (quam in commentarijs tuis gloriaris rurſum integraſſe aduerſum me) quòd ego paralogizauerim ex hoc loco & argumentum quoddam, quod gratia diſputationis texui contra Decretum, ego probauerim ut ualidũ: cuius tamen fallaciam oſtendi in eodem libello in reſponſione ad ſecundum argumẽtum, ne contra Decretum pugnarem, imò etiam contra me ipſum, qui Decreto ſubſcripſi. Et quare tu bone Vir, integram apologiam tuã, non meã reſponſionem in noſtra Expurgatione integraſti? Quis aliã cauſam ſuſpicari merito ualeat, quam ne apparerent tuæ calumniæ & tui paralogiſmi, nõ mei? Quanquam doctis uiris hi facilè ſe ſe oſtẽtant. Nequeo me continere quin aliqua breuiter ac fideliter de noſtris ſcriptis proferam, ut uter noſtrum paralogizet, clare appareat.

Ego

Ego hanc propoſitionẽ mihi ſumpſi ut uerã. Teſtimonij Spiritus ualidũ eſt ad gignendã fidẽ in illo cui atteſtatur. Tu primò inquis: Falſum eſt, neq; probabis unquam.

Verum hactenus id non eſt oſtendere paralogiſmum. Et cùm autoritate ſanctorum illud ſumptum probaſſem: nihil tu ad ea reſpondens, ſolum dicis: Falſum eſt, neq; probabis unquam. Verùm addis:

Hic iã corruit rõcinatio tua: qa ſi ſic vnuerſi ĩtelligis eẽ ualidũ vt facis, oẽs iuſtificẽt certi ꝺ ſua gĩa penit, ac ſine vlſa dubitatiõe.

Hæc tu Soto. Nec uides paralogiſmum tuum quem ego iam demonſtraui in Expurgatione his uerbis ad literam: Obſecro te attende. Ex hoc ſumpto noſtro: Teſtimonium Spiritus eſt ualidum ad gignẽdam fidem: tu infers: Ergo omnes ſunt certi quibus ille teſtatur. Quis iſtam ſanus conſequentiam probet? Nunquid non Chriſtus teſtabatur Iudæis de ueritate? Nunquid teſtimonium eius non erat ualidum ad faciendam fidem? Quis, niſi blaſphemus, hoc dicat? Omnes igitur Iudæi per te receperunt ipſum eius teſtimonium: & Baptiſta conqueritur quod uenerit Dominus teſtimonium perhibens ueritati, & nemo tamen acciperet. Verè doleo uices tuas, quod ubi & de quo me arguis, ibi tu & in idipſum miſerabiliter offendis, ut duplex tua culpa ſit, ſimul errare, & benè dicentem arguere, idq; cum tanta autoritate ac maieſtate. Non ſequitur ergo, non ſequitur ni Soto: Teſtatur ille, et ualidum eſt teſtimonium eius: Ergo omnes de facto certos reddit'. Sed hoc ſequitur, quòd ex ſe ualidũ eſt ad certificandũ. Quòd uerò nõ omnes certificet, plura ſunt in cauſa, uidelicet, inconſideratio, frigiditas charitatis, qua non exercetur pijs operibus, non paſcitur ſpiritus q hoc poſtulat. Vnde et quædã periculoſa tepiditas, curæ mundi, ſpinæ, tribuli, hoc eſt, continua uenialia ſaltẽ admiſſa, tentationes, perturbationes, officiũt huic certitudini.

Autor in Expurgatione.

Quòd ſi rectè uiueremus, ſi cuſtodiremus cor noſtrũ uigilanter, cũ timore ac tremore Dei, ſicut facũt uiri ſancti et perfecti, ſalutẽ noſtrã̃ operãtes, et in charitate in dies proficiẽtes, et ad perfectũ tẽdẽtes (etſi minima et quotidiana eſſent delicta, quæ humana fragilitas à ſe ipſa nõ ualet excutere) profectò audiremus nõnunq; claro illam Spiritus uocẽ, quã in perturbationibus deſiderabat egregius ille Pſaltes, dicẽtis clarè in corde noſtro: Noli timere: Salus tua ego ſum. Quapropter hoc tuũ argumentũ Caietanus quaſi præuidens, pulchrè dixit. At ſi non profecimus ut teſtimoniũ hoc habeamus à Spiritu ſancto et noſtro, ſtudeamus ad efficiendũ in nobis prõptitudinẽ exequendi quæ ſunt Spiritus, et mortificandi quæ carnis ſunt et mundi, ne deſinmus gratiæ tãti teſtimony. Hæc ille. Sed qd apus erat illo, cùm ſcriptura ipſa loquatur, et ſancti patres, ut ſuo loco oſtendemus? Hæc ego ibi, et alia plura circa hunc locum, ad quæ lectorem remitto. enim B. Ambroſius idem ferè ad literam. Nunc redeo ad teſtimonia per te citata.

De ſcholaſticis ſimiliter, quòd Alexandrũ de Hales ad ueſtras partes inuitum troxeritis facile eſt diſſicere. Ago tamen Deo gratias, quòd Venerabilis ille Pater Vega tandem in calce ſuæ diſputationis ognouit, et quæ dixit Ioannes Bachonis Cornelita, probauit: quæ tamen tu Soto derides. Hoc igitur puto Dei magna prouidẽtia factũ, ut in hac q̃ſtione, qa magni erat momẽti, ẽt inter uos q̃ eratis alioquõdo cõcordes; diſſenſio nota ſit, et utrq; ueſtrũ in huius rei tractatione, tu in principio haud cogitãs, ille uerò in fine à ui ueritatis impulſus, noſtræ fauit sẽtẽtiæ. Tu n. titulũ inſcripſiſti de certitudine gratiæ, uolẽs incertitudinẽ cõcludere, ille uerò cõtra, cum de incertitudine gratiæ titulũ inſcripſiſſet; certitudinẽ tãdẽ, impellẽte spiritu, ingenua cõfeſſione cõcluſit. Et hæc ſatis ſint quod ad hanc rem attinet. Cætera in Expurgatione & aſſertionibus.

Digitized by

DISCEPTATIO SECVNDA
De Prædeſtinatione Dei.

Votum præter priorem antiquam de certitudine gratiæ diſceptationem, in tuis nouis commentarijs (quod iam animo conceperas, ut erat fama) aliquot tractatus articulos, me, etiã nato in chartæ marginibus nomine, reprehendis circa tractatum de prædeſtinatione, ubi etiam a conuicio non temperaſti, inſurens mihi nouum temeritatis; in hanc nunc diſceptationem, etiã præter publicam et magnam quam de hac re ſpero utilitatem, deſcendo: ut uideas aliquãdo, ſi ipſe tibi animi oculos nõ eruas, te et noſtra quæ non capis carpere, et tua quæ non intelligis aſſerere, et probrum quod in me abieciſti, tibi longè uerius conuenire.

Perſpicua uocum ſignificatione mihi incipiendum eſſe, ut in ea cõueniamus, et inde in quo diſſentimus appareat ne more Andabatarum decertemus. Quæro igitur primum abs te rationem ac deſcriptionem huius nominis quod eſt PRAEDESTINATIO. *Ecce illa ſuper cap 8, et 9, ubi tẽ fuſius tractas, tuis uerbis expreſſa.*

Prædeſtinatio eſt deſtinatio ad finem ſupernaturalem finẽ quem naturæ viribus attingere non valemus.

Et iterum:

Prædeſtinatio eſt pars quædam ſubiectiua & ſpecies prouidentiæ. Nam quum prouidẽtia ordinatio quædam ſit generalis rerum æterna in ſuos ipſarum fines: prædeſtinatio eſt particularis deſtinatio rationalis creaturæ in ſuum ſupremum finem, ad quem ductu et fauore Dei perducitur.

Hactenus non planè explicaſti uniuerſam prædeſtinationis rationem,

dicens indefinitè, quòd eſt rationalis creaturæ: qui modus, apud doctos qui ſcientificè loquuntur, pro uniuerſali accipitur. Quare alibi declaras, quòd hæc deſtinatio ſeu ordinatio (nam tu promiſcuè his uerbis uteris) non eſt omnium, ſed quorundam & paucorum, quos de innumerabilibus elegit Deus ante conſtitutionem mundi. Sed nec ſic perficitur definitio: aliquin de cæteris, iuxta hanc tuam damnationem, confiteri oportet, quòd non fuerunt ab æterno deſtinati ſiue ordinati ad ſalutem.

Hic igitur diſceptatio noſtra incipiat. Ego enim hoc in loco reclamo fretus apoſtolica mihi aſtipulante uoce et atteſtante, q̃ DEVS VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. Si hoc uult, et quatenus uult, uoluntas eius nõ eſt manis, nec poteſt executione carere; neceſſe eſt, quòd quos uult ſaluos fieri, eos etiam per idonea media ordinet ad ſalutem, &, quantum ad illum attinet, etiam perducat: quod tu quoq; diſertè in tua diſputatione confiteris. Quo fit, ut non pauci, ſicut iam eſt (te aſſentiente) concluſum, ſint prædeſtinati, id eſt (ut tu interpretaris) deſtinati atq; ordinati ad beatum finem, ſed omnes. Imo ut ſimul et pauci et omnes erunt ad hoc ordinati per te, niſi hic ad elabendum, locum aliquem inuenias. Nam expoſitiones Diui Auguſtini ad illum locum Apoſtoli (qui argumentum contra ſuum dogma perſenſerat & per eas elabebatur) tu meritò non probas, et ys medys quibus ego ante te diſputans, ſaluum tenui cum autoritate & gloria, minus eſſe probabiles demonſtrauit.

Cùm igitur tu ipſe fateoris, uelle Deum quemuis hominum quàtum ad ſe attinet, ſaluum fieri, ſi modo ipſi uoluerint neq; obſtinauerint corda ſua (hæc tua uerba ſunt) cogitandum nunc tibi eſt, ſtantibus definitionibus tuis de prædeſtinatione, quæ eſt erga paucos, quo

pacto ſubſtinere poſſis hanc Dei benignam uoluntatem et conſequentem ordinationem erga omnes.

Ad hæc, tu ipſe mordicus tenes, Deum in hac uita nemine prorſus reprobare, & quemlibet eſſe uiatorem usq; ad extremum uitæ, ut ſit poſſibile et ſaluari et damnari: de qua re erit poſtrema mihi tecum diſceptatio. Cùm uerò rursũ hæc dicas, Quicunq; prædeſtinati non sunt, reprobi sunt, & in exilium depulſi, uidendum eſt tibi & conſiderandum uigilanter, quo pacto hæc ſimul conſtent. Ego enim reuera id abs te explicatum nõ uideo: quin nec explicabile eſſe, ſtantibus tuis principijs, ſanè perſpicio: ad quod etiam perſpiciendũ gradatim te adducam. Attende.

Tu ipſe, ſicut B. Auguſtinus et Thomas, aſſeris cõtra pelagianos, prædeſtinationem Dei quæ eſt ab æterno, nõ habere cauſam ſui præſcientiam ullam operum, imo ut prædeſtinatus quisquam dicatur propterea quia præuiderit Deus opera eius bona, ſed pura et benigna ac liberaliſſima uoluntate ordinat eum et quencunq; alium prædeſtinatorum ad uitã. et cũ hoc, imo propter hoc, ex ui ipſa prædeſtinationis, omnes alios, ut multis, excludit à uita: quia prædeſtinati certo numero concluduntur, qui nec augeri poteſt nec minui. Nam ſi non ex præuiſis operibus suis bonis prædeſtinati ſunt qui ſunt prædeſtinati ut eſſent tot et non plures, ſicut ex doctrina B. Auguſtini accipitur & B. Thomæ; multo magis non ex operibus aliorũ malis talis prædeſtinatio fit ut tot ſint et non plures prædeſtinati. Non enim antequam Deus ordinet suos quos prædeſtinat ad unum, expectat (ut ita loquamur) uidere exitum aliorum quos non prædeſtinauit, imo ut poſtquam uiderit hos casuros à regno, prædeſtinet illos reliquos in regnum. Hæc, n, omnio, præterquam q aduerſatur doctrinæ communi ſanctorum, eſſet etiam inſanior pelagiana, imo etiam impoſſi-

bilis, ut mox oſtendam. Prædeſtinat ergo ad regnum illos suos numeratos ante præuiſionem operum quorumcunq, ideſt; uel ipſorum prædeſtinatorum uel aliorum. ſicut expreſſe B. Paulus aut de ys qui typum gerebant duorum horum ordinum, ideſt, prædeſtinatorum et nõ prædeſtinatorũ. Ait enim. Antequam quicquam boni egiſſent aut mali (ſcilicet in conſpectu Dei) ut ſecundum electionem propoſitũ Dei maneret, nõ ex operibus, ſed ex uocante; dictũ eſt ei: Maior ſeruiet minori ſicut ſcriptũ eſt: Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui.

His ergo ad hunc modum ſe habentibus ac ſane perſpectis, apparet irreſolubile argumentum contra te, qui uis, ſtante prædeſtinatione ut ſupra cõſtitutum eſt, omnes homines eſſe a Domino Deo ordinatos ad ſalutem, etiam non prædeſtinatos, idq, per illud Apoſtoli: Deus uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Arguitur enim hoc pacto. Deus, obſcq, præuiſis aut cõſideratis meritis cuiusquam aut demeritis, ordinat hos certos ad uitam, et horum numerus eſt determinatus ita ut non poſſit uel augeri uel minui, & conſequẽter alios reprobat à uita, et in maſſa perditionis derelinquit, & in æternum exilium; et nihilominus, ys iam reprobatis & derelictis à ui ipſa prædeſtinationis, quæ eſt paucorum iuxtum: ipſe eadem Dominus qui reprobat, confert auxilium ut ad uitam perducantur, nec unquam illos deſerit, niſi ipſimet ſua obſtinatione & impœnitentia ſemetipſos à uita priuauerint: quod quando fit, conqueritur Dominus aduerſus illos.

Nunc uide quo pacto hæc ipſe ualeas conciliare, ne te de errore in errorem in alium trudas. Ego enim uideo manifeſte te aberrare, & me explicabiliter implicari: quod et poſtremo loco diſputationis ipſemet cõfiteris, qui tandem recurris cum B. Auguſtino & alijs ſectatoribus ad exclamationem illam, O altitudo etc. At hoc non eſt magiſtri dig-

ſpumas, ſed diſcipuli captiuantis intellectum: quod certè laude dignum eſt, modo non importunè.

Ad hæc, tu, fortaſſe ut à ſuperioribus argumẽtis te expedias, dicis: Vidit Deus homines et eorum finem atq; opera antequã eoſdem ordinaret in talem, finem ad, quẽ præuia eius gratia venturi erant per talia opera. ſed tamen cognito enunciatiua qua iudicat conſequuturos nos eſſe tales fines, non præſuppomitur prædeſtinationi, ſed effectus illius eſt.

Hæc ad literam tua ſunt uerba. Et ne homo quiſpiam indoctus offenderetur per hoc quod ois. Ante et Poſt: admones ne cogitemus actum ſucceſſionem in Deo, ſed ſigna tantum naturæ: et hoc quidem rectè. At ſuperuero quis probet? Et ubi eras, quæſo mi frater, quando cogitabas tam perplexa & manifeſtè pugnantia, quæ nemo ualeat ſanis auribus audire patienter, & non indignari et admirari, te tantum theologum et profitentem magiſterium, quo omnes ad tuam cenſuram reuocas, adeò abſurdo docere? Quo pacto enim, quæſo, opera illa bona quæ ſunt effectus prædeſtinationis, poteſt Deus uidere antequam uideat ipſam ordinationem ſiue prædeſtinationem unde illa procedunt? Si dixiſſes (quod ego docuj) notitiam hominis prædeſtinandi, & finis ad quem prædeſtinetur, et mediorum per quæ ille incedere debeat ut finem conſequatur, præcedere prædeſtinationem; rectè dixiſſes. At dicere, Deum præuidere finem eorum et opera antequam illos ordinet ad finem non eſt niſi mentis confuſæ ac perturbatæ. Si hæc intelligis, reuertere ad temetipſum, neq; te deat neq; pigeat emendare, ne aduerſum te & eri ar et conſcientio ſimul, quod longè eſt durius, atteſtentur. Sin autem non intelligis, abſtine à magiſterio.

Vt autem ad rem redeam, hæc eſt ſummo argumentorum: Si omnes qui introbunt in regnum ſunt prædeſtinati, ut multis, ito ut

ſi non eſſent prædeſtinati non intrarent; et hoc tam in confeſſo eſt, & numerus prædeſtinatorum in Dei prouidentia certus eſt etiã ſecundum materiam, ita ut nec minui poſſit nec augeri; neceſſariò ſequitur ex ipſa prædeſtinationis natura, cæterorum omnium reprobationem includi: deo autem reprobationẽ à regno Dei. Si enim Deus uult tot obtinere regnum et non plures, planè ſequitur, quòd omnes alios excludit à regno. Quo fit, ut eũ hac uoluntate hos excludendi à regno, quæ certa eſt et inuiolabilis (quoniam ſub ipſa prædeſtinationẽ ſic declarata concluditur) nequeat conuenire illa Dei uoluntas qua uult (ut ipſe concedis) etiam non prædeſtinatos regnare, eisq; præparat media opportuna ad illud obtinendum. Ex igitur deducitur res, te autore te cenſare, circa Dei prouidentiam, ut quum nolit non prædeſtinatos obtinere regnum, fingat nihilominus et præparet illis cauſſa quibus regno potiri ualeant: quod cogitare, certè eſt amentiſſimi hominis, & cui nihil, quamuis manifeſtè abſurdum, non ualeat perſuaderi. Cauit.n. ſummopere Auguſtinus, ne hoc fateretur. Et ideò commentabatur nouas gloſſas ad ſententiam illam Apoſtoli: Deus uult omnes homines ſaluos fieri etc. à quibus tu merito recedens, explicari non potes, ſed ingenuè fateris, uelis nolis, compelleris, non diſtingui prædeſtinatos a non prædeſtinatis hac differentia, quòd prædeſtinati ſint ordinati ad unum, non prædeſtinati uerò nequaq;, et ideò excluſi ob illa. Quumq; n. ordinatus a Deo non eſt, proculdubio excluſus ab eo eſt. Præter prædeſtinator ergo omnes excluſi ſunt. Vbi ergo illud Apoſtoli: Deus uult omnes homines ſaluos fieri? .

Idẽ quoq; hac uia demõſtratur. Quero.n. abs te de multis adultorum qui ſunt damnati, contemnentes mandata Chriſti, Vtrum illi amiſerint regnum Dei, ac priuati fuerint illo. Si negas, cum Lutheranis conſentis, & ſcripturæ & Eccleſiæ & ſanctis patribus omnibus

traditis

tradicis. Lutherani enim uolunt ſolùm prædeſtinatis paratum fuiſſe regnum. Si ergo confiteris; oportet etiam te conſequenter cõcedere, huiuſmodi homines fuiſſe ordinatos ad regnum: ſiquidem ſane nullus rectè dicitur ſuo culpa aliquo bono priuatus, quod uel non fuerit adeptus, uel ſaltem ad illud adipiſcẽdum atq; obtinendum aptus natus: quod abſque Dei ordinatione ſtatui nullo modo poteſt. Nullus enim in eam facultatem euehitur obtinendi regnum, quod eſt hereditas, niſi per adoptionem per Deum, qua efficimur filij Dei, et ideò ordinati ad regnum. Ex quibus illud obtineo contra te, non plenè te hactenus declaraſſe quid ea uox, Prædeſtinatio, ſecum importet. Quomodo ergo de re ipſa potes recte diſſerere?

Quid ergo dices tandem, ut perfectam tradas, eius uocis Prædeſtinatio, rationem, ut ibi perſpicuè inſpiciamus differentiam, qua à non prædeſtinatis prædeſtinati diſtinguantur, & hoc ex parte ordinis à Deo præſtituti, non ab euentu, ſicut ueteres accipiebant: quod B. Auguſtinus reprehendit, et nos ambo illum in hoc ſectamur? Non enim ſatis eſt dicere: Prædeſtinatio eſt ordinatio ad regnum; ſi hoc eſt uerum, ut probatum eſt, omnes eſſe ordinatos ad illud. Neceſſe eſt nobis ergo uideamus nolimus, confiteri, differre ordinationem prædeſtinatorum ab ordinatione non prædeſtinatorum in eo, quòd ex benignioris Dei uoluntate, prædeſtinati ordinati ſunt ad regnum: ut quauis poſſint conditione, illud infallibiliter obtineant: prouidẽte illis Deo, mediaq; ſalutem infallibilia, quibus omnino conducantur ad illud, & omnia quæ huic fini aduerſantur prohibente. Nam qui uult omnino aliquid quod abſq; mediis habere non poteſt, niſi deſipiat, etiam media ordinabit quibus illud pro ſua uoluntate contingat. Ceteri ergo qui non ſunt in hoc beato prædeſtinatorum numero, ordinati quidem ſunt omnes ad finem; at non ut infallibiliter eum aſſequantur, ſed

possint ab ea excidere si uelint: quod ex ipsa facti experiẽtia de multis nouimus qui exciderunt: possint & non excidere, ne frustra ordinati dicantur: unde et multos reipsa non excidisse existimo: cuius rei gratia plurima sum commentatus, & nouissimè edidi libellum, quem ad te mittam, obsecrans te, tui potissimum gratia, ut illum legas animo sedato & quiescas. Efficax est .n. ni fallor, ad quietem præstandam cuiuis lectori quem amaritudo, aut quouis modo praua affectio non perturbet.

Intelligit libellum qui inscribitur summa doctrinæ de prædestinatione &c.

Vt igitur hoc ipsum latius declarẽ, uidelicet, te in tua disputatione hac illac spatiantem & circuncursantem nec inuenientem requiem, oportere tandem in prædictam cõclusionem conuenire mecum: de uis ipsis fundamentis & obiectionibus contra me, quæ de tuis commentaryis excerpam ad literam, adungens responsiones meas, Dialogum conficiam ueluti speculum, ubi ipsum queas inspicere. Incipe igitur fieri primum mi frater.

Dialogus.

SOTO. Primũ omn ũ cõsyderandus Deus est ab æterno statuisse utranq; naturam, tam angelicam, quam humanam ad se ipsum creare, ad sui scilicet imaginem, suæq; ipsius beatitudinis capacẽ quibus ideo decreuit leges ponere, ac suppetias ire, neq; vllo modo quantum in se esset, illis deesse, quo minus eadẽ beatitudine potirentur omnes, nisi sua ipsorum culpa obstaculo illis esset. Qua de causa & angelos & primos parentes in gratia vel creauit, vel antequam peccarent, constituit. Vidit autem casum Adæ &c.

Ambrosius. Hactenus nullam uidemus distinctionem inter prædestinatos & non prædestinatos: et fortè tenes, sicut B. Augustinus, nullam fuisse prædestinationem post casum Adæ. Declarat .n. ille, prædestinationem esse liberationem à peccatis, saltem ab illo originali: reprobationem uero esse derelictionem in massa perditionis, quæ massa

in angelis fingi non poteſt. Quamobrem tu, ut exiſtimo, ſequens opinionem B. Auguſtini, non ponis prædeſtinationem in angelis: contra quod tamen B. Thomas docet: quæ res erat tibi explicanda. Sed perge.

Soto. Vidit autem Deus caſum Adæ, atq; per eius culpam infectum ire omnes mortales, quorum alios nihilominus pro ſuo beneplacito prædeſtinauit ad regnum, quos per ſuam miſericordiã ad illud euexit: alios vero pro ſua iuſtitia excluſit, quos nihilominus non niſi propter ſuam ipſorum culpam punire ſtatuit; quoniam pœna ſuapte natura non niſi ob culpam debetur.

Ambroſius. Hic videris conuenire mecum ex parte, videlicet in ordinationem non prædeſtinatorum, quos ais excluſos à Deo pro ſua iuſtitia, et non niſi propter ſuam ipſorum culpam punire ſtatuit. Nam & paulò ante concluſeras, tota cauſa bonorum operum, in Deum reſolutur: malorum, in nos: ab idq; præuiſa opera mala, cauſa ſunt reprobationis: bona uero, non item prædeſtinationis. At hoc profectò contra Beati Auguſtini doctrinam militat. Ille enim ex Apoſtoli doctrina & typo Iacob & Eſau, ſicut prædeſtinationem ex mero Dei beneplacito conſtituit abſq; operum conſideratione: ita et reprobationem. Sicut enim de electione Iacob dictũ eſt: Antequàm quicquam boni faceret; ita de odio Eſau: Antequàm quicquam faceret mali. Et hoc etiam ipſemet in eius loci expoſitione confirmas his uerbis.

In his autẽ nondum natis, nullo libertatis vſu pollentibus, tam oculatiſſime patefacit. Nempe quod cum ante eorum merita alter fuerit electus, alter vero odio habitus, neq; ulla fuerit facta præuiſionis mentio meritorum: in hac ceu tabella perſpectum nobis ſit prædeſtinationis myſterium, ſcilicet, quod neq; meritorum momenta, neq; eorum præuiſio fuerit cauſa huius diuerſitatis, neq; adeo in adultis & ratione vtentibus hominibus, ſed ſola voluntas diligentis & vocantis.

Hæc tu ibi quæ quo pacto concilies cum ijs quæ superius recitasti, non uideo: adeò perplexus es et inconstans. Nõ me tamen latet B. Augustinum aliquando, ut manifestam absurditatem uitaret, dixisse, quòd licet Esau non fuerit reprobatus propter mala opera sua propria; reprobatus tamen fuit propter peccatum originale, ac propterea illud præuisum à Deo satis fuit pro causa ad reprobationem ut in massa perditionis relinqueretur absq; suis propriis demeritis. Quã opinionem & tu in loco sectari uideris: quæ non est antiquorum patrum. Sed contra hãc ego circiter triginta contexui argumenta, quorum nec tu unum resoluis. Nunc unum tantum adiciam. Quòd enim Esau non fuerit propter peccatum originale reprobatus nec in massa perditionis derelictus, patet manifestè: quia per circumcisionem fuit infans octo dierum liberatus ab eo peccato, et ereptus de illa massa. Quis hæc igitur capiat? Reliquit Deus in massa perditionis Esau reprobans illum, & mox eundem ab illa massa & originali peccato eripit. Verùm ut propius congrediamur, accedo ad disputationem tuam, quam tanquam singulari certamine mecum contendens, instruxisti. Surge in Dares, & caput alium in prælia ulle: insulta audacter.

Soto. Hæc igitur pro captu nostro dicta sint secundũ antiquos patres ne doctores hactenus scholasticos. Est verumtamen & præter illum bonum patrem cuius meminimus, quidam R. Episcopus cum quo nobis controuersia fuit super Decreto Concilii de certitudine gratiæ: qui in suo libro de prædestinatione hanc receptissimam sententiam prædestinationis & reprobationis obnixe demoliri contendit. Et primum duplicem gratis ac sine ulla prorsus uel autoritate uel ratione communiscitur prædestinationem. Primam quidem singularem, eorum scilicet quos egregie Deus dilexit, nempe quos secundum certum propositum, vt ait, certaq; media statuit voluntate absoluta ad gloriam perducere: &

horum prædeſtinatorum numerum fatetur eſſe certum, neq; aut geri poſſe neq; minui. Reliquam vero mortalium multitudinem, quos nos reprobos dicimus, ait, nihilominus ita eſſe deſtinatos ad gloriam conditionali voluntate, vt ſint in numero ſaluandorum. Quo circa prædeſtinatorum numerus, inquit, qui ſecundum propoſitum ſunt prædeſtinati, non adæquat numerum ſaluandorum: quia non ſolum eiuſmodi prædeſtinati poſſunt ſaluari: propterea quod voluntate antecedenti (vt a nobis confeſſum eſt) Deus vult omnes homines ſaluos fieri, mediaq; adhibere quantum in ſe eſt, quibus omnes ſi volunt, aſſequantur ſalutem. Obiicq; cum Paulus ait. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, & glorificauit: intelligit, inquit, præ aliis ſingulari priuilegio deſtinatos.

Ambroſius. *Mitto illum mei contemptum in eo uerbo.* Quidõ Epiſcopus? cùm in margine *nomen meum, quo magis oppareret, oppoſueris, & in eodem tractatu ſæpius exprimas. Satius eſt enim contumeliam perpeti, quam inferre. Illud primum quod ais, te ſuperiora concluſiſſe ſecundum antiquos patres et doctores hactenus ſcholaſticos, quo fiducia oſtenſi? et quo præſidio putes defendere?* Cum *ante B. Auguſtinum nullus patrum ita intellexerit prædeſtinationẽ: ſicut Proſper & Hilarius obiecerunt ipſi Auguſtino, nec ipſe negauit, cum res in conſpicuo eſſet. Et de ſcholaſticis, quis non miretur audaciam aſſertionis tuæ? cum tot et tantæ inter illos hac de re controuerſiæ fuerint, ut de illis uere poſſit enunciari: Quot capita, tot ſententiæ. Non enim te latet Scotum Beato Thomæ aduerſari. Quid autem ipſe B. Thomas ſentiat, nec apud uos eſſe certum. Ego illũ nonnullis in locis a nobis ſtare oſtendi. Cæteros, ut Henricũ, Gregorium, Aureolum, Capreolum, Cameracenſem, & alios inuicem pugnantes reliqui: de quibus nihil certi colligi poteſt, ut plerique ipſorum fatentur. Quomobrem iurè conqueror aduerſum te, quòd non ſatis tibi fuit, ab initio, ſimul cum multis catholicis me infamaſſe cum*

Scholaſtici doctores.

ſcripſiſti, nos catholicæ fidei certitudinem de proprio gratia defendere; non obſtante quod propria ſcripta et in ſancta Synodo oppoſitum fuerim proteſtatus: & quia urgebaris teſtimonio, dixiſti: Saltem dicitis tantum quanta eſt fides catholicæ: et cùm hoc etiam pateret falſum, adieciſti: Tantum intenſiuè, etſi non extenſiuè: et cùm ſimiliter hoc probaretur mendacium; dixiſti: Saltem tantam quanta eſt fides catholicæ ad hunc effectum ut tollat omnem dubietatem; & cum hoc etiam falso nobis appmeres; ueniſti tandem in uerum ſtatum quæſtionis, & impegiſti. Nec item ſatis tibi fuit me falsò notaſſe quòd duplicem fidem catholicam cõmentus fuerim. Nunc enim prosequens tenorem tuum, ſiue de induſtria, ſiue per allucinationẽ, quod magis uolo credere, duplicem me commentum fuiſſe prædeſtinationẽ inſimulas: cum ego, ſi quis alius, unam tantum diſertiſſimè ponã uel ipſo mihi atteſtante, ut paulo poſt oſtendam. Habeo igitur hac de re perpetuam querelæ aduerſus te rationem, quòd mea non fideliter recitos. Nam præter dicta, recenſens hæc meam ſententiam, ais, me dicere reliquam mortalium uniuerſitatem nihilominus ito eſſe deſtinatos ad gloriam, ut ſint in numero ſaluandorum. At ubi hæc legiſti in libris meis, ut non prædeſtinati ſint nihilominus in numero ſoluandorum? Ego dico in numero eorum qui poſſunt & ſaluari & damnari, et tu ais, in numero ſoluandorũ. Poteros etiam pari ratione dicere in numero damnandorum. Hoc ne, quæſo, eſt bona fide diſputare? Illud uerò quod ego dico, nonnullos huius ordinis saluas fieri, etſi tu mireris; puto tamen longè et incomparabiliter probabilius eſſe, quàm eius oppoſitum, uidelicet, ex illis prorſus ſaluari neminem. Nec puto eſſe uirum mediocriter in logicis et philoſophia inſtructum, in pectus dementatus fuerit, ac ſibipſi præiudicium fecerit uolens præterire, qui, ſi ſedata animo à paſſionibus et ab affectione ſectarum

Digitiz c

uelit hinc inde rationabiliter conſiderare non facile in ſententiam noſtram concedat, ſicut & multi conceſſerunt: multi non audent, quia non bene capiunt, et quia non deſunt mihi amici, qui ad aures impe-ritorum ſuſurrant et detrahunt, dicentes: Quæ hæc doctrina noua? Quomodo hic fert eùm nos nõ docuerimus eũ? Olim aliquid fortè pro-fecerat in iure ciuili aut de logica, de philoſophia, & de theologia, pueri ipſi noſtrarum ſcholarum illum reuincerent. Solum in calamo aliquid habet uigoris, ſed in ſenſu nihil ponderis. Hæc ſpargunt in uulgus, et cauſa tam nota eſt. O Beatiſſima Virgo adiuua ueritatem. Nunc ad te redeo Soto: perge.

Soto. Hinc aduerſus reprobationis opinionem colligit, nullos fuiſſe reprobatos, eo modo quo Auguſtinus & Scholaſtici uolũt, id eſt, nullos ab æterno odio Dei habitos, antequã illi ſua pro-pria uoluntate quidpiam mali egerint: Atqui contrariã opinio-nem ait dirã eſſe & horribilem & male piam, & contra uniuerſam ſcripturam militantem, in cuius confirmationem denſiſſima argumenta conſarcinat.

Ambroſius. Pergis ut exarſes in me imperitorum inuidiam, tanquàm rem clarorem præſtituerè, quòd ego in hoc articulo reprobationis cõtra Auguſtini & ſcholaſticorum doctrinam colligo, nullos fuiſſe repro-batos eo modo quo ipſi ponunt, nec modum quo ipſi ponunt declaras, & modum quem ego pono nõ plenè recitas. Vt igitur ex me audias, accipe concluſiones meas: Si reprobatio ſignificat expulſionem à re-gno, & conſequenter detruſionem in geennam, ut B. Auguſtinus in-telligit: aſſero primum, nullum mortalium ab æterno reprobatũ fuiſ-ſe anteq; ille ſua propria uoluntate quippiam mali egerit. Item aſſe-ro terq; quaterq;, contrariam opinionem eſſe diram, horribilem, malè piam, contra uniuerſam ſcripturam & S. Patres & cõmunẽ ſcho-laſticorum conſenſum militantem, in cuius confirmationem denſiſſi-

ma argumenta, non consarcinaui, ne tuum contumeliæ uocabulum fàlsò in me iaculatum admittam, sed sanè sobriè & ordinatè construxi: quorum nec tu unum soluisti, neq; solues. Nam & ipsemet B. Augustinus, se nescire soluere quod ipse contra illam opinionem opposuit, ut in alys libris adduco, ingenuè confessus est. Nec possum cogitare de bonitate Dei quod neq; de quouis principe et rege ualeã mihi persuadere, nisi tyrannus fuerit crudelissimus, ut prius sua absoluta uoluntate uelit habere quos puniat, ac propterea prius ordinet eos ad æternam pœnam, quàm uideat deliquisse. Hoc nec tu Soto facere opinor, si non penitus humanum animum exueris. Et tertio asserere, ante B. Augustinum neminem patrum secus docuisse, sed pro nobis, credo omnes, scio multos. De scholasticis haud dubium maximam partem: quanq; tu falsò omnes, quasi meæ sententiæ aduersos, pronuncies, nihil ueritus doctorum censurã, sed imperitia fretus indoctorum. Tumetipse circo hoc fatem, Scotum aduersari Beato Thomæ: & nunc scholasticorum quasi commum sententia me terret. Deniq; asserо, te non obscure ut soles, sed clarè & planè hoc ipsum quod teneo sæpius cõprobasse in eisdem commentarys, sicut superius citaui: ut mirer nunc uehementer, quo pacto id queas retractare. Equidem nullam causam ualeo coniectare, nisi ut gratis mecum contenderes. Procede igitur.

SOTO. Et quoniam opinio hæc plebeis auribus applaudit, operæ pretium duximus illam excutere.

Ambr. Hoc est propriè eorum qui se sapientes arbitrantur, omnes plebeios deputare, qui cũ illis non sentiunt. Sic pleriq; uestri ordinis reiectant in eos qui de articulo immaculatæ conceptionis, secus quam uos sentiunt. Licet enim iam consentiant omnes Ecclesiæ, plurimæ & insignes uniuersitates, & iam omnium populorum fides, aiunt tamen

tamen quidã ueſtrum. Nos ſumus uiri ueritatis: illi autem ſunt plebei, ſunt mulierculæ, neſciunt theologiam. Sic dicebant olim Iudæi de Domino noſtro: *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex phariſeis? Sed turba hæc quæ non nouit legẽ, maledicti ſunt.* h *Verùm mi frater, ex his plebeis qui hanc de prædeſtinatione ſectãtur ſententiam ſunt nonnulli uiri theologi & doctores et cõcionatores inſignes, qui cum maximo auditorum plauſu et acceptione, et nemine reclamante, eam in tota Italia prædicarunt et prædicant: qui tanto magis confirmati ſunt, quanto certius perſpexerunt tua futilia contra illam argumenta, quæ tu demõſtrationes uocas, quibus hanc noſtrã opinionem operæpretium ducis excutere. Excute ergo.*

SOTO. Primum igitur, quã ſit extorta expoſitio Pauſini uerbi: Quos prædeſtinauit, &c. uel inde patet, quod nemo hactenus illam cogitauit. Omnes enim tam Græci, quam Latini Patres ſub uerbo, Prædeſtinauit, uniuerſam genus prædeſtinationis percipiunt, in quo ideo reſpectum uniuerſaliter agnoſcunt oppoſitionis ad uerbum, Reprobauit, et non relationem ad alios communiter deſtinatos. (Nam PRAE, non id ſubnotat, quod præ aliis altius deſtinatos, ſed præceſſionem importat æternitatis ad tempus gratiæ. Non potuit ergo hic R. Pater, extra temeritatis notam, non ſolum Auguſtinum, uerum ſanctos omnes noua inaudita q; ſua cõmentatione contemnere. Id quod facit idem autor & ſuper præſenti loco: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quo loco prædeſtinationis, reprobationisq; diſcrimen omnes pariter cõfitentur quot quot hucuſque enarratores prodierunt. Vbi tamen ipſe negat, ullam ſubeſſe reprobationis ſignificationem: ſed dicuntur, inquit, odio illi haberi, qui eorum inter deſtinati ſunt, & ſaluandi non ſimpliciter, ſed reſpectu ſingulariter prædeſtinatorum, ſcilicet, quod non ſunt electi ad gratiã eam excellentem. Perſpiciat autem perpendatq; ſapiens lector, ubi ex æquo odium Eſau oppoſitum eſt dilectioni Iacob, an non eam proprie accipiamus nomen odii, quam nomen dilectionis.

Ambr. Verè eſt operæpretium ut ego inuicem tua excutiã, ubi tut eſſe puto errata, quæ uerba. Primùm ais, extorum eſſe illã meã expoſitionem eius uocabuli Prædeſtinatus: quod uel inde palàm fit, quia nemo hactenus illã cogitauit. Propheta ergo es tu, qui cogitationes omnium hominũ penetraſti. Sed mirum, neminem cogitaſſe quod erat, te teſte, plauſibile multitudini. Verum ut benignius tecum agam, intellexta fortè neminem eam cogitaſſe eorum, qui illum locum tractauerunt & ſcripſerunt unde ſubdis: Omnes enim tam Græci, quàm Latini Patres, &c. Quis et hic inanem iactantiam non miretur? Im paſſim pro te citas omnes patres et Græcos et Latinos, quaſi omnes legeris, intellexeris, & memoriæ mandaueris, ut omnes & omnium ſententias exhibere poſſis in promptu (quod tamen in uniuerſis ſcriptis tuis (cum tua pace dictum uelim) ac præſertim in hoc ipſo articulo, minimè præſtas. Quid eſt enim quod dicunt iſti tui omnes patres Græci et Latini aduerſus illam noſtrã expoſitionem? Omnes, inquis, ſub uerbo Prædeſtinauit, unicum genus prædeſtinatorum percipiunt. Quid hoc aduerſum illam meam expoſitionem, qua uolo, prædeſtinatos eam ob cauſam dici, quia præ aliis ordinati ſunt ad ſalutem? An non uides quòd hæc ipſa mea expoſitio unum tantum genus prædeſtinationis concludit, uidelicet, eorum qui in ordinatione præcelluntẽ? Si enim etiam aliorum dicerem prædeſtinationem; nònne ſentis quòd ego perplexa et ſecum inuicem pugnantia dicerem? Nimirum, quòd in primo ordine exiſtentes quia prædeſtinati, præferrẽtur iis qui in ſecundo conſiterint; et rurſum qui in ſecundo eſſent, cum & ipſi eſſent prædeſtinati, præferrentur iis qui in prima (ſi quidem nulli alij eſſent quibus præferri poſſent. At uerò ita confuſè ac perplexè loqui mi frater, ne tibi aduler; uidetur mihi tuũ eſſe potius, quàm meum. Et profectò malum eſt aberrare ac decipi: At uerò tam craſſè,

tum inconsideratè, & ut dici solet, in ipsis foribus, ubi nec puer fa cile impingeret, et in eo re præsertim ubi admiscetur calumnia et in iusta reprehensio in fratrem, nimium est atq; intolerabile.

Ad hæc, Id quod ais, omnes patres tum Græcos, quàm Latinos, unum tantum genus prædestinationis percepisse: quam falsò, quam inconsideratè protulisti. Lege librum illum imperfectum qui sub nomine B. Augustini titulatur de prædestinatione Dei, et ibi agnosces ab initio usq; in finem duo prædestinationis genera. Alterum quod uocat allegationis alterum conditionis. Illud potentiæ. hoc iustitiæ. Nec abhorruit ille gloriosus doctor alibi sic accipere uocem illã. Sed ut obstruam tibi os, audi Magistrum sententiarum, qui ex patrum sententia duplicem docet prædestinationem. Ipse enim super Epistola ad Ephesios cap 1. inscribit. Posita prædestinatione quæ pertinet ad iustitiam & sanctitatem uitæ præsentis: ponitur hic alia prædestinatio pertinens ad uitam æternam, cuius effectum supra notauit. Hæc ille. Quid hic mutire? quid potes hiscere? Addo hic, postquàm meis calumnijs cogis, Gabrielem super primo sententiarum, ubi clarè duo genera prædestinationis distinguit, ut cuiusdam prædestinationis nulla sit causa præter Dei uolũtem, alterius uero prædestinationis causa sint merita. I nunc, et considera uter nostrum mereatur notã temeritatis iuri, & ex hoc errore tum pudendo disce consideratius loqui. Quid enim turpius, aut quid iniquius, quam alium de quorumuis dicto reprehendere, quod ucrè ipse non dixit, imo cuius oppositũ dixit: et amplius, quo nihil po est cõsiderari ineptius, ipsũ dictũ autoritate eorum reprehendere, qui tamen idem dixerunt quod reprehenditur? Sentis Soto quam eleganter exeuteris, ad exeutiendum ipse tam pronus? Sed nondum finis.

Venio nunc ad ipsam expositionem meam illius uocis. Dixi enim

prædestinationem dici, quia est quorundã præ alys ordinatio. Quid hic habes quod reprehendas? Vtrum sensum quasi falsum, an uerò uocis ethimum? Si sensum, nihil aliud respondeo nisi indigere te sensu. Quis enim ausit negare, prædestinatos esse præ alys electos et destinatos ad uitam? Certe Beatus Thomas hoc planè supponit, aiens: Electio est inquantum hoc bonum aliquibus præ alys uult Deus cum quosdam reprobet. Hæc ille. Haud autem dubium est, præ destinatos esse electos. Si igitur uerus est sensus, nunquid uocis significatio non consentit? Imò. Quid est enim prædestinare, nisi ante destinare? Præ enim idem est quod Ante: & potest habere respectum non solum ad tempus, uerũ ét ad personas: ut Prætor, Præses Præsto, Præstabilis, Præsigms, Præpositus. Nazanzenus dixit, Prævocatos, præelectos qui ante alios uocantur et eliguntur. Et uos de B. Virgine cantis: Elegit eam Deus et præelegit eam, hoc est, ante alias cunctas uirgines elegit. Sed hæc uel pueris nota sunt. Si igitur & sensus est uerus, & expositioni consentit uocis proprietas, quo fiducia uocas illam extortam? Est regula B. Augustini, Quoties ex aliqua scriptura uerus in se elicitur sensus, et uerborum significationi non repugnat, illum sensum a Spiritusancto esse intentum.

B. Augustini regula In libris de doctrina christiana.

Verùm ais, secus accepisse doctores illam præpositionẽ PRAE. Fac ita esse uerum: nunquid propterea clauditur os cunctis, ut aliter nequeãt exponere, modo aptè? B. Augustinus, sicut obiectũ fuit illi, nõ est ueritus prædestinationis mysterium in alium sensum trahere quẽ nulli ante illum cogitauerunt: quod cum illi obycerentur, nõ negauit. Ais, me alios contemnere. Hæc uox est stomachi æquo plenioris. O quot ipse cõtemneres si hoc esset cõtemnere, aliquorũ sententias suo calculo nõ probare. Nec uerò contemnit personas, qui de re iudicium profert, neq; qui aliquam expositionem affert, cæteras contemnit.

De fide et. sanctorum cap xiii.

Quoniam uerò tu hac in loca in doctorum autoritate inniteris, uideamus qua pacto illam uocem exponant doctores. Ais, omnes uniuersiter respectum agnoscere ad uerbum Reprobauit, & non relationē ad alios communiter destinatus: quod certe falsissimum est. Quod si etiam uerum esset, ideſt, quod ea uoce agnosceretur relatio ad reprobatos, quomodo non ad communiter ordinatos, cum idem sint, iuxta uestram doctrinam, reprobati & communiter ordinati? Quod item adiungis, illud PRAE non submouere præcessionem prædestinatorum, nónne est principium petere, atq; effutire? Et quod addis: Sed præcessionem æternitatis ad tempus gratiæ, dignū esset examinatione longa iure. Verum quia hoc in alio libro confutaui, nec tu quicquam respondes, ad illum te relego. Quod denique ais, in typo Iacob & Esau me negare ullam subesse reprobationis significationem: falsum est. Ego enim aliquem reprobationis modum ibi admitto & probo. Nam quid est, quæso, hoc in loco reprobatio, nisi uox quæ significatione opponitur electioni, ut qui non eligitur, reprobatus ab eo intelligatur ad quod alius eligitur? Verbigratia: Eligitur de Cardinalibus quidam ut sit Papa: cæteri dicuntur reprobati: non tamen simpliciter, ut non sint christiani & clerici & Cardinales, sed reprobati ab eo gradu ut nullus eorum sit Papa.

Illo igitur constituto quod & tibi debet esse constitutissimum (quia B. Augustinus & D. Thomas, & quicunq; recte de prædestinatis senserunt, hoc senserunt) quod prædestinatio sit ordinatio quorundā immobiliter ad regnum; debemus reprobationem ita æstimare, ut illa tali ordinationi opponatur: ut qui non sint prædestinati, non simpliciter reprobati dicantur, sed ab illo eximio ordinationis gradu excluſi. Hunc sensum prudentia ipsa docere debet. Quapropter B. Augustinus in libro de Ciuitate Dei prudenter Tertulliani dictum suggillat.

Cauillatus .n. ille quum eſſet in Gentes, quòd haberent Deos ſelectos, paulo argutior dixit: Si Dei ſeliguntur ut bulbi; utiq; cæteri reprobi iudicantur. Auguſtinus autem dixit, hoc magis facetè dictum, quam uerè: quia reprobationẽ ò Deum Tertullianus intelligebat. Videa .n. (inquit Auguſtinus) ex ſelectis ſeligi aliquos ad aliquid maius utq; præſtantius: ſicut in militia cum tyrones electi fuerint; ex his quoq; eliguntur ad opus aliquod maius armorum. & cum eligũtur in Eccleſia qui fiant præpoſiti, non utiq; cæteri reprobantur, cum omnes boni fideles merito electi nuncupentur. Eliguntur in ædificio lapides angulares, non reprobatis cæteris qui alijs ſtructuræ partibus deputantur. Hæc ille, & plura ijs ſimilia, quæ oportebat in re propoſita cõſiderare, quia ad ueram reprobationis intelligentiam, & huius myſterij maximè conducebant. Mitto hic typum & exemplum Geminorum: quoniam ſatis illud declarauimus & in priore libro & in Summa noſtra de prædeſtinatione, quam paulò ante hic Romæ edidimus.

Illud uerò quam admirabile argumentum Perpendat, inquis, ſapiens lector, ubi ex æquo odium Eſau oppoſitum eſt dilectioni Iacob, an non tam propriè accipiatur nomen odij, quam nomen dilectionis. Verum audi, quæſo, ſi es logicus ut præ te fers. Quæſo abs te, quid eſt magis oppoſitum ſeu contrarium bono? Nunquid malum, an potius non bonum? Si primum dixeris, Ariſtoteli contradicis. Non bonum ergo eſt primò & maximè oppoſitum bono. Sic in re propoſita, uero oppoſito et contrarietas dilectioni Dei quæ eſt erga prædeſtinatos illa cenſenda eſt, quæ negat talem dilectionem. Dices, non uocaſſet Deus illum odium. Quaſi uerò odium non dicatur in ſcripturis comparatione: ut quem non ita diligis ſicut alium, rectè dicaris odiſſe. Alioquin, ſi me de hac intelligentia reprehendis, caue ne ſimul & ipſum Dominum (quod horreo dicere) reprehendas, qui dixit:

Qui non oderit patrem suum & matrem suam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ibi .n. nō abſolute odium poteſt intelligi, ſed comparatione; ut dilectio parentium poſtponatur dilectioni Chriſti. Sic intelligitur quod ait: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Aut .n alterum odio habebit & alterum diliget, &c. Quo in loco ſignificatur odio haberi Deus cùm in dilectione poſtponitur creaturæ. Tu uerò hæc in ſcripturis non obſeruaſti: quæ ſi nouiſſes, non mihi hoc negotium nunc faceſſiſſes.

Verùm ut amplius urgeam, et tuo iterum atq; iterum gladio te iugulē: Argumentum tuum quod eſt, ut ſicut intelligitur in prædeſtinatis dilectio perfecta, ita in nō prædeſtinatis debet intelligi odium perfectū. Hoc uerò in pueris obſq; ſacramento decedentibus dici nō poteſt quia pœna eorum non eſt Geenna, ſicut & ipſe fateris, repudiās in hoc articulo B. Auguſtini ſententiam. Sed perge noſtra excutere, ut et mutuam tua excutiantur.

SOTO His autem prætermiſſis, arbitror demonſtratione manifeſta iſtius opinionem cōuinci erroris. Reſpondeat ꝓ quaſo, uerum iniquos omnes in ſua iniquitate uita decedentes Deus odio habeat abſoluto in altero ſeculo, illos inquam, quos miſſurus eſt in ignem æternum. Certe hoc negare nō valet.

Ambr. Quia nimis confuſe loqueris pro more tuo, audi, quæſo, patienter me explicantem, ne obruaris ipſa confuſione. Dominus Deus benedictus eundem hominem in ſua æternitate poteſt & diligere & odio habere: & hæc de facto in plurimis uerificatur. Quia .n. iniquos odio habet, & iuſtos diligit, iccircò ueriſſimum eſt quòd pro aliquo tempore odit peccatorem donec eſt peccator, quem ſi reſurgat à peccato, pro eo tempore diligit, ut in Deo nulla contingat mutatio, ſed in nobis. Deinde dico, quòd non omnes iniquos & non prædeſtinatos

qui sunt in hoc seculo, pro hoc tempore habet odio, ut sit perfectum odium quod dicitur usque in finem: quoniam adhuc plurimi uiatores sunt & capaces pœnitentiæ & gratiæ. Et similiter non omnes iustos in hoc seculo diligit Deus perfecto dilectione quæ est usq; in finem & est prædestinatorum: de quibus ait scriptura. Cùm dilexisset suos, usq; in finem dilexit eos. In illis autem qui prædestinati non fuerint, sicut si pro tempore essent iusti, non odio haberentur, odio perfecto: tm si pro tempore iusti fuerint, non diliguntur certa dilectione usq; in finem: sed expectatur exitus illorum, utrum perseuerantes ipsi permanserint in dilectione. & tunc dilectio Dei erga illos perficitur. Sin autem exciderint, perficitur odium.

His præmissis, respondeo ad propositiones tuas. Rogas me, utrũ iniquos omnes in sua iniquitate decedentes Deus odio habeat absoluto in altero seculo. Respondeo, habet illos Deus odio absoluto in altero seculo. Addis: Illos inquam, quos missurus est in ignem æternum. Respondeo, Quid oportebat hoc addere nisi ad obscurandum? Si n. tom potis decessisse illos in sua iniquitate, tam missi sunt in ignem æternum, & non est eos missurus. Ante uero quam decedant, si adhuc uiatores sunt, non potest illud dici quod esset eos Deus missurus in ignem æternum ex ordinatione sua, nisi fortè ex præscientia perseuerantiæ illorum in malo. Sed perge: non .n. copis quæ dixi.

Soto. Rursus respondeat, vtrum ne illud absolutum odium, absoluta q; illa puniendi voluntas in tempore aduenit Deo, an potius fuerit in ipso semiterna. Credo dabit hoc secundum: imo plane hoc ipse concedit: alias Deus esset mutabilis.

Ambr. Concedo: perge.

Soto. Concedat ergo (ni fallor) necessum est, reprobationem: quæ nihil aliud est quam absoluta voluntas Dei æterna excludẽdi

quoſdam a regno. Deo excludendi, vt generalem pœnam, quæ communis eſt etiam decedentibus in ſolo originali, cõplectar, qui non ſunt paſſuri penas ſenſus.

Ambr. *Concedo reprobationem: falſum tamen eſt, propriè loquendo quod reprobatio nihil aliud ſit quam Dei voluntas excludendi aliquos a regno. Reprobatio .n. actũ ipſum excluſionis importat, qui ab ipſa Dei voluntate procedit, & terminatur in creaturam, præcedẽte tamen merito reprobationis. Et ideò non concedo reprobationem eſſe æternam. ſicut nec eſt æterna creatio. Dei tamen voluntatem reprobandi, æternam eſſe, ſicut & creandi voluntas. Reprobatio .n. ut ipſe doces, præſupponit cauſam sui non æternam. Quomodo ergo poteſt cogitari æterna niſi ex parte reprobantis? Concedo ergo quod voluntas Dei æterna, quæ eſt cauſa reprobationis, & ille actus reprobationis in Deo, qui eſt ipſemet Deus reprobans, non aduenit Deo in tempore: nec propterea concedo reprobationem æternam, quæ terminatur in reprobos, qui ex tempore reprobi fiunt. Si hæc tu fateris, quæ nimis clara ſunt, quid contra me? Perge igitur et excute.*

Soto. Et confirmatur hæc ratio illo tunc articulo (ut ſic de æternitate loquamur, vbi ſigna naturæ diſtinguimus) illo inquam articulo, quo Deus quoſdam certa abſoluta q; voluntate ordinauit ad gloriam: nunquid de reliquis aliquid etiam abſolute definiuit? Quis ambigat? Etenim author iſte non negat, quin Deo futura omnia fuerint ab æterno præuiſa.

Ambr. *Quæris à me quod ego volebam quærere abs te: ſed poſtq; quæſiſti tu prius, Reſpondeo, q m eo tunc, id eſt, in eo ſigno naturæ, quam certa abſoluta q; voluntate quoſdam ordinauit ad gloriam; de reliquis nihil aliud abſolutè definiuit, niſi ut in eo gradu non eſſent in quo priores, ſed eorum ſalus penderet ab exitu. Quare ſi vis me conceſſiſſe abſolutam reprobationem in eo naturæ ſigno, falleris. Sed ais:*

Autor iſte nõ negat quin Deo futura omnia fuerint ab æterno præuiſa. Verè hoc non nego: ſed non omnia præuiſa in eodem ſigno naturæ. Prius .n. (ut tu fateris) certò quoſdam ordinauit ad gloriam, quàm eorum opera uideret: quia cauſa præuiſorum operũ prædeſtinatio fuit, non è conuerſa. Sic in illo naturæ ſigno quo illos ordinauit ad gloriam quemadmodum nondum apparebant opera & merita prædeſtinatorum, ita nec reliquorum: et ideo non poterat de illis non prædeſtinatis quic quã abſolutum ac certum definire: ut nec certò eorum uitam, ita nec certò eorum damnationem. Ex eo uerò ſigno naturæ cùm uidet Deus opera cuncta et merita, tunc Dei ſententia procedit abſoluta et definitiua. Quare apparet quàm ſit uanum quod continenter subdis his uerbis:

Soto. Cum ergo in finali iudicio duas tantũ hominum ſortes diſcreturus ſit Chriſtus, eorum ſcilicet qui admittuntur in regnum, & aliorum qui demittuntur in ignem (vbi & infantũ abſq; ſacramento defunctorum exilium extra ignem comprehenditur) conſequens ſit, vt Deus in illa æternitate quotquot abſoluta voluntate non ordinauit ad gloriam: abſoluta contra deſtinauerit in exilium. Hoc autem eſt quod patres intellexerunt nomine reprobationis. Non obſtante quod illi iidem reprobi, antecedenti &, vt hoc dicamus, conditionali voluntate fuerint dilecti, vt pote niſi ſe ipſi auerterint a diuina gratia. Fuit ergo manifeſtarius abuſus, aliud genus prædeſtinatorum vel ſaluandorum comminiſci, quam eorum qui abſoluto proposito & voluntate prædeſtinantur. Prædeſtinatio namq; & reprobatio, ſecundum abſolutam voluntatem exiſtimari debet, & non ſecundum conditionalem.

Ambr. Verè in te poſſum dicere id quod tu in apologia falsò in me obieciſti. Extra chorum ſaltas, & confuſiſſimè loqueris, non tenens diſtinctionem in æternitate ſignorum naturæ, qua non conſiderata, facilè pugnantia admittuntur. Nos ènim dicimus, cum de Iuda, quod Deus in eo ſigno antequam eſſent illi præſentia opera Iudæ,

antecedenti, non abſoluta, id eſt, non deliberata uoluntate uult Iudæ ſaluationem: nec item uult ipſius Iudæ damnationem. quã tamen uult illi in eo ſigna cum ſunt eius opera ſibi præſentia, quæ ſunt cauſa damnationis eius. Antequam uerò illa ueniant in conſpectum eius, uult illi quidem ſalutem, conditionaliter tamen: quæ conditio cùm penderet à uoluntate ipſius Iudæ, & ſua ipſius culpa defecerit, idq; in illo ſigno poſteriore apparuerit in conſpectu Dei, fateor ex tunc reſultare illius reprobationẽ, exilium, et detruſionem in ignem. Et ideò uaſtiſſimum eſt quod ipſe concludis, me commẽtum eſſe aliud genus præ deſtinationis, ſicut ſuperius clarè oſtendi: & plus ã, falſum eſt quòd reprobatio cuiuſquam (ſi de perfecta reprobatione eſt ſermo, ſicut eſt modò) non ſit exiſtimanda ſecundum cõditionalem uoluntatem: ſi quidem abſoluta reprobandi uoluntas ſequitur ad defectum conditionis. Nunquàm enim ſic reprobaret quemquam Deus abſolutè, niſi præceſſeret culpabilis defectio conditionis: ante quam defectionem, nõ reprobatus, ſed ordinatus ad uitam inueniebatur. Hæc ſi intelligis, ſatis ſunt ut quieſcas, et corrigas quæ ſcripſiſti ut friuola, ut confuſa, et nihil ſolidi habentia. Attamen perge adhuc noſtra excutere.

SOTO. In ſumma ſcitote ab illis, an illi quos uocant ſaluandos & non prædeſtinatos abſoluta uoluntate, fuerint deſtinati ad gloriã: & tunc proprie ſunt prædeſtinati: An uero non niſi conditionali & antecedenti: & tunc neceſſe eſt dicere, quod nunquam peruenient ad gloriam. Nam alias uoluntas conferẽdæ illis gloriæ æterna fuiſſet in Deo & abſoluta. Si ergo non ſunt peruenturi ad gloriam, ergo neq; ſunt ſaluandi, et ex conſequenti mittendi ſunt foras, atq; adeo exilium abſoluta uoluntate decretum illis eſt ab æterno: quod eſt, eoſdem eſſe reprobos.

Ambr. *Ego neminem non prædeſtinatum uocaui unquam ſimpliciter ſaluandum: ſed ſi fecerit uoluntatem Patris perſeueranter,*

Et hoc ſuppoſito, admitto eſſe ſaluandum: imò ego puto fore nonnullos tales qui conſecuti ſunt et conſequentur ſalutem: de quibus interrogationi tuæ reſpondens dico, quòd ab initio non fuerunt abſoluta et certa Dei uolũtate ordinati ad gloriã ut omnino ad eã per media debita peruenirẽt, et propterea nõ fuerũt in numero prædeſtinatorũ. Nec ob id ſequitur, quod ſi hoc eſſet, eos uidelicet in numero prædeſtinatorũ nõ fuiſſe, nunq; peruenisſent ad gloriã. Non enim ſolos illos peruenire ad gloriam neceſſe eſt, qui ſic ordinati ſunt ut non ſit poſſibile non peruenire, ſicut contingit prædeſtinatis: ſed ſatis eſt multos quòd adiuti ſufficienter a Deo, poſſint illuc peruenire: ut non temerè concedatur aliquando quòd peruenerint. Siquidem cùm conceditur poſſibilitas euentus; nihil eſt penitus abſurdi apud eruditos in logicis, ipſum euẽtum concedere: præſertim quum hæc poſſibilitas nõ ſit à longe: ſicut accidit de adeptione gloriæ non prædeſtinatis, in quorũ manu eſt cum Dei gratia & auxilia, utrum uelint eam: ſicut paſſim ait Scriptura ſancta & patrum ſentẽtiæ. Quo magis demiror incredibilem inconſtantiam diſputationis tuæ & argumenta tam futilia, quæ tamen tibi ſunt mathematicæ demonſtrationes, perge tamen. Reſtat enim ultimum argumentum tuum, in quo tu omnes intendiſti neruos: explica illud, quæſo, ut liberer à tanto tædio.

SOTO. Rurſum, ſi ſolum ob conditionalem uoluntatẽ Dei dicuntur homines ſaluandi, fit vt vniuerſi mortales ſint ſaluandi: vel declaretur præter illos qui abſoluto proposito ſunt prædeſtinati, qui nõ ſunt ſaluandi, & qui minime. Quod ſi vniuerſi concedantur eſſe ſaluandi, conſequens fiet vt damnandi, hoc eſt qui vere damnabuntur, ſint ſaluandi. At cum hanc opinionem tot ſequantur abſurda, patronus tamẽ eius adeo illam habet pro euidenti, vt pluſquã cæcos ex ſtimet qui eam nõ ingenue cõfitentur.

Ambr. Verè cùm ad hæc tua reſpecto mi frater, uix paſſum credere cùm tu illa ſcriberes, ibi te adfuiſſe, dum in tuis argumẽtis illa ſumis tanquam à nobis conceſſa, quæ et manifeſtam præ ſe ferunt falſitatem, et nunquàm a me uel per ſomnium cogitata. Ego enim non dico, ſolùm ob conditionalem Dei uoluntatem ullos homines eſſe ſaluandos, ut ipſe mihi falsò & gratis impono: ſed cum illa Dei conditionata uoluntate, uo, etiam deſiderari illius a Deo adiectæ cõditionis implementum ad hũc effectum ut quis reipſa aſſequatur ſalutem. Et ga multi huius ordinis nõ prædeſtinatorũ eam conditionẽ non implent, ideò non oẽs ſaluabũtur. Quia uero etiã multi implẽt, ut ego proculdubio arbitror, qa cõceditur mihi q̃ poſſunt oẽs implere: ideo nõ oẽs ſaluabũtur. Hanc verò ſententiã, quæ rogo confeſtim abſurda? Quid eſt in ea quod non ſit ex communi patrum ſententia et Eccleſiæ ſpiritu? Quamobrem & ſi exaggeres noſtra dicta; poſtquam tu uis me eſſe huius opinionis patronum; non renuo. Nec enim multum mihi erit negocij illã tueri præſertim ſi dũtaxat aduerſum te mihi certamen exiſtat. Nam et ſi acrimonia quidem ſit in uerbis; in argumentis tamen nihil nerui: id quod ipſe paſſim oſtendis.

Quod item ais, plusquam cæcos me illos exiſtimare qui in hoc articulo mecum nõ ſentiunt: poſtquam me tenuis, haud abnuo. eos tamen qui ea mihi concedunt quæ tu, ideſt, qui ſententiam B. Pauli illam: Deus uult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem ueritatis uenire, abſq; gloſſis extraneis, ſincerè mecum intelligunt ut ſuperius expoſitum eſt. Pergo igitur.

Soto. Perſtat ergo communis patrum ſententia, nullos eſſe ſaluãdos niſi qui ſunt prædeſtinati, hoc eſt, abſoluto proposito & electione deſtinati, quorum numerus certus eſt, qui nec augeri poteſt nec minui, vt in De Cor. & gratia & alibi crebro author eſt

Auguſtinus. Inter quos verũtamen ſunt nõnulli exmie prædeſtinati, vt cum primis b. Virgo, & poſt Apoſtoli, ũ quod ad excelſum gradum gloriæ ordinati ſunt, tum quod fuerunt in gratia confirmati. ſed hoc nihil ad rẽ. Ruit itaq; tota machina argumẽtorũ quæ aduerſus cõſtantiſſimã ſententiã partũ iſte autor inſtruxit.

Ambr. Ais, *Perſtat ergo: ſed unde perſtat?* Nempè ex priore tuo argumento, *quod ſi in ſuam formam reducitur, huius modi eſt.* Solùm *ob conditionalẽ uoluntatem Dei nemo eſt ſaluandus, ſed aperte et eſſe abſolutam Dei uoluntatẽ ut quis ſaluus fiat. Qui aũt nõ ſunt prædeſtinati non habent niſi ſolam illam Dei conditionalem uoluntatem. Ergo nõ ſũt ſaluãdi, ideſt, nec digni ut ſaluentur, nec miles qui de facto ſaluabuntur.* Hoc *eſt argumentum.* Nunc audi me reſpondentem: Concedo tibi priorem, quæ hunc ſensum reddit, *quod donec Deus uult hos uel illos conditionaliter ſaluos fieri, quod eſt, pendente conditione, nullus poteſt ſaluus eſſe, & ſicut non poteſt ſaluus eſſe, ita nec poteſt reprobus eſſe. At impleta uel deficiente conditione, nõ eſt illa Dei uoluntas ulterius conditionalis, ſed (absq; ulla tamen in Deo facta mutatione, ne tu hic me puerili argumẽto aggrediaris) eſt uoluntas abſoluta, qua uult ut qui impleuerint eam conditionem, ſalui ſint: qui autem non, pereant et crucientur.* Quo circa, *illa tua minor: Qui non ſunt prædeſtinati non habent niſi illam Dei conditionalem uoluntatem, falſa eſt: quia poſt impletam conditionem habent uoluntatem Dei abſolutam.* Nam *ut aiunt Iuriſconſulti (quod & pueri queunt agnoscere) impleta conditione, actus uel contractus redditur purus, ideſt, non ulterius conditionalis, ut non ſit ulterius exſpectanda conditio, ſed implementum promiſſionis deſideratur.* Quis hæc, niſi cæcus aut qui de induſtria uidere nolit, *non intelligat et non probet?* Præterea, *reuera omnes homines conditionali Dei uoluntate nduitam uocãtur: ſic .n. tu conſentis exponi illã apoſtolicam ſentẽtiã:*

Deus uult omnes homines saluos fieri &c. id est, conditionali uoluntate. Per te autem qui sub ea conditionali uoluntate claudantur non saluantur. Clauduntur autem omnes: Nullus ergo saluatur. Ecce erga unde tu illud conclusisti: Perstat erga etc, ita inaniter disputans, ut me quidem facias firmus in mea sententia perstare. Verum qua fronte mi frater, audes asserere, patrum sententiam esse, ut prædestinati intelligantur absoluto proposito & electione destinati? Nónne tui ipse alibi fateris, omnes patres antè D. Augustinū aliter accepisse prædestinationem, quàm postea ille accepit, uidelicet, illos intellexisse prædestinationem ortri à bonorum operum præscientia: quam opinionem nec tu probas? Cur erga peruersè patrum sententiam expanis ad decipiendum eos qui hæc ignorant?

Verùm ne quid dissimulem, fateor, hac nouum uideri, ac per hoc contra patrum sententiam, ut qui non prædestinati sint, salui fiant. Hujus autem opinionis si origo et ratio diligenter attenditur, quæ est, quòd aliter atq; aliter à patribus acceptum est nomen Prædestinatio ne Reprobatio, palam fiet, me non solum non uiolare quouis modo sensum patrum, uerumetiam cum omnibus sentire qui catholicè sentiunt. Quod si ego à patrum sententia recedo in acceptione eius uocis Prædestinatio, habeo D. Augustinum qui prior recessit: habeo synodos et Ecclesiam quam libentius sector: habeo & te ipsum qui & hoc facis de quo me taxas. Quod si etiam ab Augustino in aliquo deflecto; ibi hoc me facere senties, si rectis oculis uelis dispicere, ubi & pietas et communis consensus theologorum me cogit: quod iudicium ego abs te mi frater nonnunq; desidero, qui & ab Augustino & alijs patribus sæpiusculè dissides.

Sed ad rem nostram, ut declaremus quæ fuerit patrum sententia. Primùm illud statuere oportet, Antequàm pelagianorum hæresis a uiris

bus gratiã, ſed de præcedentibus; idem tamẽ imò et maior eſt error. Nolebat enim iuſtificationem & gratiã reddi cuiquàm abſq; meritis, ſiue præcedentibus ſiue ſubſequentibus ac præuiſis. Vnde et in libro vi. Hyppognoſticon de futuris meritis clare loquitur, et illa eſſe cauſam prædeſtinationis declarat. Deus enim quos præscit Deus ac prædeſtinat, ſic ait. Propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit præscit. Ecce quàm clarè ibi docet id, quod alibi paſſim ut uerè pelagianum condemnat et explodit. Sequutus ergo tunc fuit opinionem illam antiquorum, quam poſtmodo falſam cognouit.

Hæc uerò interim ſum præloquutus, ut agnoſcas rationẽ quæ mouit patres, ut omnes nõ prædeſtinatos putarent a regno Dei excluſos. Nil enim uolebant intereſſe inter prædeſtinatos et non prædeſtinatos, ex præordinatione diuina, ſed quòd ſolum illos diſtinguerent præuiſa merita et euentus. Vnde non mirum ſi apud illos, quiſq; non inueniebatur prædeſtinatus, ideſt, qui in bonis operibus perſeueraſſet; inueniretur reprobatus. At iam cùm nemo noſtrum hanc ueterum opinionem de prædeſtinatione probet, cur tu me audes illorum autoritate apprimere ob id quia ego eam conſequentiam non probem quæ a falſis, ut ipſe mecum conſentis, educebatur principijs? Deſine igitur mihi obijcere patres, quos nec tu ſequeris, & quorum ſi uera eſſet illa de prædeſtinatione ſententia, nihil cõtra me dicerent, qui alio modo cum B. Auguſtino ex uera intelligentia Apoſtoli accipio prædeſtinationẽ. Quẽ item modũ ſi illi agnouiſſent, nihil aliud poſſent aſſerere, quàm quod ego: cùm illi eam ſententiam mordicus tenerent, Deum uelle omnes homines ſaluos fieri, & neminem abſq; demeritis præuijs reprobare, multosq; re ipſa ſaluare: nec tamen aliam Dei uoluntatem agnoſcebant qua ad ſalutem homines promouerentur, quam illam conditionalem: qua cõditione impleta, indiſcriminatim, nulla præuia electione Nota.

conſiderata, ſalutis effectum concedebant. Quare iniuria & iniuriosè mihi patres obponis et manifeſtè falsò: tanquam docuerint, illos abſoluto propoſito & electione deſtinatos ad uitam, quorum numerus nec augeri poſſet nec minui. Contra hoc enim eſt teſtimonium Hilarij *ad* B. *Auguſtinum aientis: Illud pariter non accipiant, ut eligendorum reyciendorumq; definitum numerũ eſſe uelint &c. Lege totam illam Epiſtolam, et agnoſces ſensum priorum patrum è diametro cum tua iſta concluſione pugnantem qua ais: Perſtat ergo &c. Quo fit, ut et ego dicam: Perſto ergo in ſententia mea.*

Hilarius ad Auguſt.

Vt uerò res ipſa manifeſtior fiat, duo ſunt nobis conſideranda. Primum, quid de prædeſtinatione concludendum ſit iuxta doctrinam B. *Auguſtini, quam hac parte at catholicam recipio et doceo. Deinde, quid de ipſa reprobatione ſit ſtatuendum. de hac enim eſt difficultas. Eſt autem explicata et probata illa ſententia contra uetores et pelagianos, quòd prædeſtinati, ex mero* Dei *beneplacito, non ex ulla præſcientia meritorum aut demeritorum ſunt præ cæteris ordinati ad ſalutem, ut eam omnino conſequantur. Hoc ego cum ipſo* D. *Auguſtino &* B. *Thoma & omnibus catholicis ſentio. At de reprobatione quærendum eſt, poſita quorundam prædeſtinatione, ſicut diximus, ad regnum* Dei, *ut quidam certi & præ aliis electi conſequãtur omnino regnum, utrum ex hoc ipſo ſequatur aliorum reprobatio. non dico quæcunq; reprobatio, ſed reprobatio ab ipſo regno. Ego enim cũ omnibus antiquis patribus (*B. *Auguſtinum excipio, licet ipſe circa hoc non conſtanter docuerit) audacter aſſero fretus potiſſimum ſacrarum autoritate ſcripturarum ac Eccleſiæ praxi, non conuenire cum hac abſoluta reprobatione & excluſione à regno* Dei, *apoſtolicam illam ſententiam,* Deus uult omnes homines ſaluos fieri et ad agnitionem ueritatis uenire *&c et neminem perire: ac propterea cunctis parare*

legitima media, quibus ualeant abtinere ſalutem ſi uelint. Nec obſtat quod B. Thomas, quantũ poterat ab impetente dicti recedens, rectius interpretatus reprobationem, dixit, Reprobationem nihil aliud eſſe, quàm permiſſionem Dei, qua permittit hominem finaliter peccare, ac propterea excidere à ſalute. Diuina enim hæc permiſſia conditionalis eſt, uidelicet, ſi quis uelit finaliter peccare. Non eſt enim permiſſio caſus, niſi præſupponatur incidentia caſus: Imò cùm hac Dei permiſſione caſus, eſt nihilominus ipſius Dei cura et auxilium ne iſte incidat caſus: qui ſi non incidat, nullus datur illi permiſſioni locus. Cape hæc acute lector, & quieſce.

Si quis igitur dicat: Iſte non eſt prædeſtinatus, iuxta catholicam prædeſtinationis intelligentiam. Erga damnabitur; nihil habet euidentiæ: perinde ac ſi quis dixerit. Non ſum aculus; erga non ſum de corpore. Non enim unam benedictionem habet Deus: & ſunt gradus & multæ manſiones apud Patrem.

Item ſi quis dicat ut probet ſuperiorem: Non eſt prædeſtinatus: Ergo nõ ordinatus ad ſalutem: iam patet eſſe falsum. quia Deus uult omnes homines ſaluos fieri, etc. Erga omnes ordinauit ad ſalutẽ quod ad ſe pertinuit, licet diſpari modo multos.

Et ſi quis dicat. Non eſt prædeſtinatus. Ergo non abſolutæ uoluntate ordinatus, ſed conditionali. Tranſeat. Quòd ſi adjciat: Ergo non ſaluabitur: iniuriam facit Deo, ſi aſſerat illum conditionem appoſuiſſe quæ impleri non queat. Quòd ſi fateatur poſſe impleri, attamen nullum hominem impleturum: iactet, ne dicam fatuè aut temerè, certè ex uoluntate, non ex ratione iactabit: perinde ac ſi quis dicat, Nulla erit gutta pluuiæ hoc anno.

Denique, ſi quis dixerit: Si non eſt prædeſtinatus: ergo eſt à Deo præſcitus quòd malè finaliter operabitur. ſimiliter ſtultè loquitur, niſi

prius hanc probet: Non eſt prædeſtinatus; Ergo finaliter malè operabitur: quam nulla ratione probabit.

Vbi eſt igitur illud unde (ut ais) ruit tota mea machina argumentorum? Fac ergo periculum: recipe aliquod ex meis argumentis.

SOTO. Primũ enim eſt, quod exhorret animus audire, Clementiſſimum Deum, vt oſtenderet iuſtitiam ſuam, meditatum fuiſſe pœnas ante peccatum, tantamq; multitudinem quam creauit mortalium, odio habuiſſe antequam eſſet odio digna. Hoc argumentum, ſi aduerſus lutheranorum ſenſum dirigatur, lethaliter illos configit, vt q ui aiunt, Deum pro ſua voluntate odiſſe quoſdam, atq; adeo ita induraſſe antequam quicquam boni ageret uel mali, ne iuſta ſua capeſſere valeãt, & ſalui fieri: qua vtiq; ratione Deum facimus autorem mali.

Ambr. Si lethaliter configit lutheranos, opinor configere omnes qui oppoſitum tenent eius quod ipſum argumentum concludit. Quo modo igitur ruit argumentum?

SOTO. Patres autem & ſcholaſtici non ſic impie obloquuntur: ſed hoc prorſus quod in tempore fit, aiunt æternum fuiſſe in voluntate Dei: vnde ſicuti neminem punit niſi ob commiſſa delicta, ita neminem reprobauit nisi ob præuiſam eandẽ culpam.

Ambro. Hocne dicunt patres & ſcholaſtici? Ego etiam idem affirmo. Quæ igitur ruina argumentorum mearum? O me miſerum, cum qua committo. Teſtor ſummam Veritatem, me magno eſſe affectum tædio dum tuam proſequor nimis infœlicem diſputationem, vbi nihil ſolidi, nihil conſtantis perſpicio: multo inepta, pleraq; falſa & calumnioſa, nihil aduerſum me quod in prioribus meis opuſculis non reſoluerim: multa denq; ſententiæ noſtræ (ſi modo tibypſi conſtares) mirum in modum fauentia. Quamobrem hic ſoluam Dialogum, & paucis quod eſt in tuis ſcriptis reliquum dignum annotatione, perſtringam.

Multa quæris à me ut reſpondeã de pueris, de Tyrijs et Sydonijs, & de Saul & Dauid: quaſi ego hæc nõ reſoluerim in Opuſculis quæ legiſti. Illud uerò quod adiungis:

Reſpondeat ipſe, quæſo, an ſit crudelis, propterea quod tantã multitudinem permittit ire præcipitem in perditionẽ, quantam in die Iudicij conſpicimus. Quod ſi non eſt ob hoc dirus, profecto nec fuit, ſi quod facit in tempore, decreuit in æternitate.

Vide ut craſſè laqueris, et nihil contra nos. Quis negat decreuiſſe Deum ab æterno damnare multitudinẽ quancunq; damnabit? Sed dixi mus, in ipſa ſua æternitate non prius illam decreuiſſe damnare, quam in eadem ipſa æternitate præſentia eſſent illorum opera illã damnatio nem promerentia: Et hunus appoſitum ego, dirum & crudele exiſti mo, nec ulla modo cogitandum de Deo. Quòd autem uelit Deus tales, præuiſa eorum peccato & peccati merita, damnare ut oſtendat ſuam potentiam & iuſtitiam, quis negat? Ideò quodcunq; subdis quaſi mecum cõtendens; aerem uerberat, non me. Supereſt tamen unum exiguum argumentum (facenim in margine annotari uoluiſti, In Catharinum) quo me arbitraris proſtratum. Eſt n. contentio logica. Deo autem gratia eſt, quod his tuis mendatijs, quæ ſunt ſophiſtarum propria, quaſi diuinus ego anteuertens occurri, & propter te ac tui ſimiles recentiores ſophiſtas, tractatum edidi de Veritate enunciationũ, quẽ ad te mittam: ubi plenè ſatisfeci obiectiũculis tuis, quas longè ante præuideram: id quod facilè poteris, ſi legere digneris, agnoſcere.

Nunc uero paucis reſpondeba partim de calumnia, partim uerò de tua uerè admirabili inſcitia. Aggrederis ergo me, partim pro tua auaritia me increpando, partim uerò pro tua logices doctrina diſputando. Increpatio in eo uerſatur, quod ego in fronte ſtatim libelli mei, tãto ſtomacho ſcholaſticos deſpectui habeã. Huic increpationi reſpõdeo

incuſans te de calumnia quam mihi ſæpius obiectaſti. Nam eſt enim meum quemq; ullo ſtomacho deſpectui habere. Aliud eſt diſputare de re: aliud mordi in perſonas. Illud quandoq; me facere non eo inficias; hoc uero nunquam, niſi perſona talis ſit quæ uel hæreſeos criminis ſit iam damnata, uel male audiat in Eccleſia. Ego n. laudo ſcholaſticos doctores, et ubi ſecum conſtant & unanimiter aliquid tanq; definitum accipiunt, uereor diſſentire ab illis. At ubi inuicem decertant, quod penè fit in ſingulis quæſtionibus ab Eccleſia non deciſis et in hoc præ deſtinationis articulo, fateor me huius animi atq; ingenij ſemper fuiſſe, cuius me nunq; pœnituit, uidelicet, nolle iurare in uerba magiſtri. Et præterea, ſi ſcholaſticos laudo, ſophiſtas tamen laudare non poſſum, ſed eorum potius miſereri. In quorum numero nullem te eſſe; ut mihi certà te eſſe plerunq; oſtendis, ſicut alibi me arbitror demonſtraſſe. Ecce ut id comprobem, uenio ad eximium illud argumentum tuum: Huius contradictionis, Paulus concionabitur cras: Paulus non concionabitur cras (poſito quod ſit materia æquè contingens ad utrumlibet, de hac .n. erat ſermo meus.) tu, etiã ſecluſa omni prædeſtinatione et præſcientia Dei, alteram arbitraris eſſe ueram, ita ut liceat diuidere & ſignatim dicere: hæc eſt uera, Paulus concionabitur cras. (Do .n. tibi quod Paulus cras poſtea concionetur.) & addis rationem, quoniam, inquis, propoſitio de futura nunq; incipit uera eſſe nec falſa. quaſi uerò quia propoſitio de futuro nunq; incipiat eſſe uera aut falſa, cõtinuò ſequatur q; omni tempore fuerit aut uera aut falſa. Quis hæc ualeat ſobrius cogitare? Imò ego quum dico nullam propoſitionem de futuro contingenti ad utrumlibet eſſe ueram uel falſam, conſequentiſſimè etiã dico, nec ullam earum incipere eſſe ueram uel falſam. Siquando .n. inciperet una illarum eſſe uera aut falſa, iam falſum eſſet quod uniuerſaliter dico, Nullam illarum eſſe ueram: & item, Nullam eſſe falſam.

Sentis mi Sota te in eximia tua argumento uerè ſophiſtam?

Addis: Quis negabit uerum, heri ab æternóq; fuiſſe me modo dicturum hæc uerba? Reſpondeo: Ariſtoteles negat, Auerrais negat, Boetius negat, & alij quos legi Philoſophi expoſitores, etiam B. Thomas noſter negant, Petrus Aureolus inter ſcholaſticos non infimæ gloriæ negat: Gregorius etiam Arimanenſis teſtatur, Ariſtotelem hoc clarè negaſſe: & his ego freſus, tua cum pace etiam nego. Tu uero bone frater, tanq; tua appoſita noſtræ opinia ſit Ariſtotelis, & ſit communis ſcholaſticorum; me aggrederis, & quaſi deprehenſum in atroci crimine lapidas: Et miraris, me ſimul confiteri Deum cuncta nobis futura ut ſibi præſentia cognoſcere. Quo in loco uides, te noluiſſe illud diſcere in libris noſtris, cuius ignorantia te præcipitat in has ſophiſticas cogitationes. Saltem idem didiciſſes apud B. Thomam. Si enim cognoſſes quod ille docet, futura contingentia ad utrumlibet, ut futura, nõ ſubeſſe ulli cognitioni, nec quidem diuinæ, non tam miſerabiliter cõtendiſſes: præſertim cum tanta fiducia de magiſterio. Pergis, & ut te oſtendas perpetuo calumniaſum, ais:

D. Thom. in 1. q. xiiii ari xiii. & Iauus in q. de veritate.

Sed vide qua ratione in eõntingentibus futuris negat ineſſe aut veritatem aut falſitatem: quia nemo, inquit, ſanæ mentis vel affirmare vel negare poteſt quod erit poſt decennium nauale bellum. Profecto eadem ratione neutra iſtarũ vera eſſet: Aſtra ſunt paria. Aſtra nõ ſunt paria: In fundo maris ſũt lapides ſexcẽti: Nõ ſunt ſexcenti lapides: quia delirus eſſet qui alteram partem adſtrueret. Parcat tibi Deus. Egò ne, ab rationem quam tu recitas, probo illam meam ſententiam, quæ non eſt mea, ſed ipſius Philoſophi & omnium benè de enunciationum veritate ſentientium? Sicine uerba mea peruertis, & uerum taces rationem quam clarè expreſſeram his uerbis?

Omnis (dixi) enunciationis veritas aut falſitas ab ipſa re accipitur: ut ſi res ita ſe habeat ſicut ipſa enunciatio ſignificat, uera ſit

Autor in Opuſculis i libello de præſcientia ac prouidẽ tia Dei in principio.

enũciatio ſit, aũt oppoſitè ad ipſam; falſa ſit. Quòd ſi nec ita ſe res habeat ut enunciatio ſignificat, nec oppoſitè ad ipſam; neq; uera ſit neq; falſa. Ex hoc aũt manifeſtum redditur, quòd omnis enunciatio de re præſenti aut præterita, neceſſariò aut uera erit aut falſa. In ijs.n. oportet rem aut conuenire dicto, & ſic erit uerum, aut oppoſitè ſe habere ad illud, & ſic erit falſum. Non ſic autem eſt de futuris contingentibus. Non hæc enunciatum, Erit hinc ad decennium nauale bellum: ut uerè dicatur non habet quicq; paratum in cauſis, ut tunc fore determinatè cenſeri ualeat: nec item contrà, ſi dicatur, Non erit tunc nauale bellum, habet in cauſis ut non ſit eo tempore futurum. Quamobrẽ neutra pars oppoſitionis uera erit aut falſa: quia ſicut nõ eſt in re quod conueniat dicto, ita non eſt in re quod oppoſitè ad illud ſe habeat. Eſt talis ergo & uana erit eiuſmodi enunciatio, cui intellectus enunciãtis, niſi temerè, uel aſſentire uel diſſentire non poteſt. Hæc ego ibi.

Agnoſce igitur rationem meam, & ſi quid habes aduerſus illam, explano. Dixi n. ut patet, ideò contingentium ad utrumlibet nõ eſſe ueram nec falſam alterã cõtradictionis partem ſignatam, quia res ipſa non ſic ſe habet ut enunciatio ſonat. Ab ipſo autem ſtatu rei, de qua fit enunciatio, aut uerius aut falſius enunciationis reſultat, ut ſic inueniatur uera enunciatio aut falſa. Et quoniam in futuris, rei ſtatus non cõuenit enunciationi uel affirmantis uel negantis, ideò dixi neutram partem ſeparatim enunciatam, ueram eſſe aut falſam, ac propterea ipſam enunciationem ſimilem eſſe ac unam, cui enunciãtis intellectus nequeat niſi temerè aſſentiri. Nec dixi, ſicut tu falſo calumniaris, ideò nõ eſſe ueram, quia enunciantis intellectus non ualeat niſi temerè aſſentiri; ſed è conuerſo, ideo intellectum enunciãtis non poſſe niſi temerè aſſentiri, quia rei ſtatus enunciationi non cõgruit: quod nonnũ contingit in propoſitionibus de re præſenti aut præterita. I ergo mi frater, et cordi

Chriſto

Chriſta de tot calumnijs te expurga.

Sed defeſſus iam sum. Alioquin uix eſt uerbum abs te aduerſum me iaculatum, quod non poſſem merito redarguere. Nam illud quod poſtremo adiungis, quis non miretur? De eo quod eſt uerum, inquis, poſtquàm eſt uerum, poteſt nunq; fuiſſe uerum. Quis ualeat cum huiuſmodi diſputare, qui tantum abſurdum admittat, & eam poſſibilitatem concedat quæ nec Deo eſt, ut quod factum eſt, reddi queat infectũ, et ſemel uerum poſitum, poſſit nunq; fuiſſe uerum? Etenim huic ego Logicæ abrenũcio: quia eam non didici in Ariſtotele: ſophiſtas autem nihil morar.

Quare ut finem faciam, duo abs te rogo mi frater ut cogites, & in ijs tibipſi ſatisfacias. Primum eſt: Finge tibi, Deum ab initio nullam feciſſe ſpecialem quorundam prædeſtinationem, ſed ſolùm antecedenti illa uoluntate, id eſt, conditionaliter omnes ordinaſſe ad regnũ, idonea ſingulis media præparantem, ſicut de angelis B. Auguſtinus dixit, & tu illum ſecutus es: Puto tu propterea nullum penitus mortalium fuiſſe ſaluatum? Si hoc aſſeris, & tibi reuera ſatisfeceris; quid eſt quod non poſſis aſſerere? Profecto multo maior pars angelorum ſalua facta eſt. Sin autem potius conceſſeris, illorum multos adepturos ſalutem; quid obſtat ne hoc fatearis, etiam poſita quorundam prædeſtinatione, quæ potius prodeſſe reliquis poteſt? Alterum eſt, ut mecum in tua opinione, quòd nullus non prædeſtinatus ſaluabitur, cogitare uelis ſuper teipſum, quo pacto tibi uideas parare quietem & pacem. Si n. ſequeris B. Auguſtini ſententiam, non ſolùm non potes ſcire te eſſe prædeſtinatum, ſed (ne arroganter præſumas) nec debes credere. Potius erga opinari debes (ſi ſapis) quod probabilius eſt & humilius, uidelicet, te non eſſe prædeſtinatum. Hoc uerò cogitans, iam noſti quis tibi ſit paratus locus. Non n. de non prædeſti-

nato, tua ulla opera poteris fieri prædestinatus. Quæ igitur pax potest homini esse cum hac tua opinione? Quanto igitur ego satius, qui ponens me in numero non prædestinatorum ne sim arrogans et superbus & stultus; spero tamen de misericordia Dei, ne frustra animum despondeam, confidens illius bonitati ac pollicitis & eiusdem adiutorio qui non vult hominem perire, me unum illam adepturum æternam. Amen, amen, amen. Et hæc de prædestinatione satis ad Magistrum Soto.

DISCEPTATIO TERTIA
De Natura Peccati Originalis.

TSI ualde difficile sit (aut ego longè fallor) à tua disputatione indagare quid ipse sentias de natura peccati originalis, in modo pugnantia, modo intellectu imperceptibilia scribis; illud tamen (ut potè in libri marginibus notatum) constare omnibus voluisti, te aduersus doctrinam nostram decertare. Quamobrem in gratiã ueritatis coegisti me hanc tertiam edere disceptationem, in qua primum illa proponam, in quibus circa hoc conuenimus, quæ profectò nostram sententiã irrefragabiliter confirmant. Secundo, illa in quibus tu à nobis te dissentire ostentas, ut ea retundam. Tertium, superest demonstrare, quòd sicut perperam et inualidè oppugnas nostra: ita infirmiter tua statuas; quæ uerè sunt tua, hoc est, nec à scripturis, nec à sanctorum patrum doctrina, nec ab ulla uel probabili, uel apparenti ratione suffulta: quæ etiam à tuismet sententijs reprobata. Conuenimus ergo in his: Peccatum originale esse uerè ac propriè peccatũ habens rationẽ culpæ. Verè & propriè peccatum rectè à B. Augustino definitum esse, dum

ctum aut factum, aut concupitum contra legem Dei.
Verè & propriè peccatum esse uoluntarium.
Originale peccatum esse uoluntarium ualuntate Adæ.
Id quod in Adam fuit effectus peccati & non peccatum: nec in nobis posse esse peccatum, sed peccati tantum effectus.
Primo peccata omnes peccauimus.
In Adam præter transeuntem actum peccati: duo fuerũt reliqua inde effecta, priuatio iustitiæ, et dissolutio concupiscentiæ carnis.
Concupiscentia siue quæ sit in anima, siue quæ sit in carne, non est peccatum originale.
Priuatio iustitiæ originalis, idest, illius rectitudinis totius hominis quæ erat in illo statu naturæ integræ, non est peccatum originale. Nam illa in Adam non fuit peccatum, sed effectus et pœna peccati.
Priuatio gratiæ non est peccatum originale.
Inimicitia cum Deo non est peccatum originale, siue de inimicitia Dei intelligas quo ipse nos odit, siue de illa qua homo ipsum odit.
Adam recepit donum iustitiæ & ius regni pro tota natura: et propterea in Adam tota natura recepit ius regni cum iustitia.
Illa iustitia & gratia, si Adam non peccasset, transfusa fuisset, non ui seminis aut generationis, sed per Dei uoluntatem & infusionem nouam in quolibet filiorum Adæ.
Non propter priuationem illius iustitiæ Deus fecit nos extorres à regno, sed propter antecedentem præuaricationem et nos priuant à regno cœlesti, et originali multauit iustitia. Vnde reuera, non tactus ea iustitiæ, sed esus prorsus ligni delictum fuit. SOTO. De natu & gratia lib. 1 cap. viii.

His igitur de tuis uerbis collectis et explicatis, in quibus mirificè consentimus: restat uidendum in qua à nostra doctrina dissentias.
Primum tu negas, Adam qui accepit gratiam illam ac iustitiam pro

ſe ac poſteris ſuis : habuiſſe obligationem conſeruandi illam & ſibi et illis : nec ullum pactum interceſſiſſe uis inter Deum & Adam. Sed præſtat ut uerba tua recitem.

De natu. & gratia lib. 1 cap. 2.

Nec cogitandum eſt (vt quidã effingũe) pactum intereſſiſſe inter Deum & Adam, vt cum primum peccaſſet, natura expoliaretur illis cœleſtibus dotis, & ita, nomine totus generis humani, conſentium præbuiſſe, atq; hac cauſa totum genus, eo peccante, peccaſſe. Eſt enim fabula. Nam quid Deus opus habebat Adæ cõſenſu? Neq; ita obligatus fuit pro ſe aut pro nobis ſeruare donum originalis iuſtitiæ, vt de hac re habuerit ſingulare præceptum. Scriptura enim eſt manifeſta, quod unica fuit præceptio, ne ederet de ligno ſcientiæ, qua, cùm eius conſenſum, potuit Deus obligare totam naturam, tanquam eius, ante oblationis, Dominus.

Hæc tu Soto : quæ profectò non ſolum me petunt, ſed à ſenſu ſcripturarũ atq; doctorum manifeſtè recedunt. Vbi oſtendis te non intellexiſſe quid ſit pactum, & parum idoneum ad intelligendum omnem ſcripturam, quæ nihil aliud continet niſi pacta et teſtamẽta, quæ Deus dignatus eſt pangere nobiſcum. Vt aũt hæc intelligas, quæro abs te, utrum tu cum Deo, aut Deus tecum, pactum aliquod contraxerit, et tu aliquid ei promiſeris ac tenearis ſeruare illi? Si confiteris, te ipſum expugnas. Tu enim quantum attinet ad pactum, eandem pacti rationem cum Adam conſtituis, quæ eſt nobiſcum qui gratiam recipimus : ut in tuis commentarijs in Epiſtolam ad Rom. patet. Ergo nullum eſſe pactum exiſtimas in lege nouæ gratiæ, cùm neges fuiſſe pactũ cum Adam in priore ſtatu iuſtitiæ? Quid hic dicã, niſi te nõ meminiſſe Baptiſmi tui? Et cùm interrogatus es à ſacerdote, utrũ uelis baptizari et fieri Chriſtianus, et utrum credas, & utrum abrenunties Sathanæ et omnibus pompis eius, quid reſpõderis oblatus es? Quod ſi nunc animaduerſus, nihil aliud fuiſſe diceris quam

pactum inter Deum initum et ꝛc. Et in uerbis ſacerdotis, cùm tibi tradita eſt ueſtis candida, nihil puto agnoſces aliud, quam præceptũ particulare de conſeruatione doni gratiæ acceptæ a Deo ac ſimiliter fidei. Recole, ſi placet, ritum ab Eccleſia per Spiritum ſanctum Dei inſpiratum, quando ſacerdos dicit: Accipe veſtem Candidam et immaculatam, quam perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri IESV *Chriſti, ut habeas vitam æternam. Et ſimiliter: Accipe lampadem irreprehenſibilem: cuſtodi baptiſmum tuum: ut cùm venerit Dominus ad nuptias, poſſis ei occurrere &c. Vide igitur quam ſit ſpeciale præceptum de cuſtodienda gratia ac iuſtitia: et nũc mirabere, Dominum hoc feciſſe in prima hominis conditione, quod facere nunc in reparatione atq; inſtauratione eſt manifeſtum.*

At inquies, Nulla mihi idonea autoritate probabis hunc quem fingis Adæ conſenſum & pactum cum Deo. Audi, An non D. Thomas utrunq; accipit tanquam rem exploratum atq; compertum? Ipſa enim cum quæſtionem poſuiſſet, Vtrũ Adam creatus eſſet in gratia; argumentatur pro parte negatiua, his uerbis. Ad hoc quod aliquis accipiat gratiã, requiritur conſenſus ex parte recipientis, cùm per hoc perficiatur matrimonium quoddam ſpirituale inter Deum et animam. Sed conſenſus in gratiã eſſe nõ poteſt niſi prius exiſtentis. Ergo etc. Et huic argumento reſpondens non negat ſumptum pramum, ſed ait, q cùm motus uoluntatis non ſit continuus, nihil prohibet etiam in primo inſtanti ſuæ creationis primũ hominem gratiæ conſenſiſſe. Hæc ille. Quid hic as? An non intelligis pactum cum audis ſpirituale ſponſalitium et conſenſum, quem tam doctè ac diſertè exprimit S. Doctor? Quod ſi teſtimonium de ſcripturis quærebas: nũquid nõ ego in apuſculis noſtris produxi Oſeam prophetam, qui ait: Sicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in mẽ. Quem locum expo-

nens B. Hieronymus, *ſic aut. Ipſi autem imitati ſunt Adam, ut quod ille in paradiſo fecit, pactum meũ legemq; præteriens: iſti in terra fecerunt.* Hæc ille. *Et tu dicis hanc de pacto eſſe fabulam? Hoc pactum uocat chirographum Apoſtolus. Cur aũt hoc nomine, niſi quia ſignificat quiddam propria manu conſcriptum, ut oſtẽdat quod noſtra uoluntate obligati eramus Deo? Hoc.n. importat chirographi ratio.* Sapiens etiam in Eccleſiaſtico, *de primis parentibus manifeſtè teſtatur, quòd Dominus conſtituit teſtamentum cum illis. Quid eſt teſtamentũ niſi pactum, quod hebraicè dicitur* BERITH? *Vnde etiã* B. Auguſtinus *in libro de nuptys et concupiſcentia cap. xi. acutè de more tractans illum locũ Gene. xvii, de pacto circunciſionis: id quod ibi dicitur: Maſculus cuius præputy caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meũ irritum fecit: refert ad pactum cum Adam factũ. Nam eo ipſo quòd paruulus non eſt circunciſus, ac propterea à peccato ueteri non liberatus, ait ille, diſſipauit teſtamentũ Dei, non illud de imperata circunciſione, ſed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatũ intrauit in mundum.* Hæc in ſententia Auguſtinus. *Vbi manifeſtiſſimè pactum et teſtamentum uocat quod inyt cum Adam Deus: quod nos irritum fecimus peccante illo. Idq; non quaſi rem dubiam aut obſcuram, ſed notam et claram in* Eccleſia, *ſumit Auguſtinus.*

Nec erant abs re cõtemnẽdi doctores, qui cùm dicunt originale peccatũ eſſe priuationem iuſtitiæ cum debito habendi eam: hoc namq; indubitatum ſupponit, quòd accipientes donum iuſtitiæ in Adam, ut per illud fructificaremus Deo; etiam cõſtituti ſumus in illo debitores conſeruandi ipſum donum. Si autem non eſſemus huius conſeruationis debitores: cur præcipuè ab iſtã cauſã ejiceretur à nuptys ille homo arrogãs, et impudentiæ argueretur, hoc ſolo quòd non haberet ueſtẽ nuptialẽ?

Ad hæc, ut ipſe tecum pugnes: nónne accepit ea dona Adam pro ſe & uxore & poſteris ſuis? Si Adá accepit pro ſe ac poſteris, intellexit erga Dei pollicitationem, qua declarauit Deus, daturum ſe poſteris illa dona: intellexit et conditionem appoſitam, nempe, ſi modo ille abſtineret ſe ab eſu fructus ſignatæ arboris. Adam uerò huic legi cõſenſiſſe, cùm ex ore Domini illas cõditiones reſciret, negare non potes: Quòd ſi conſenſit ac propterea recepit ſeruaturum ſe illas, quid, quæſo, deeſt quominus ſit pactum ubi conuentio apparet et mutua obligatio? Tu uerò hic mihi obſiſtis, et ais:

Quid opus habebat Deus Adæ conſenſu?

Reſpondeo, uæ nobis ſi Deus ea ſolum nobiſcum ageret quibus opus haberet: ſed nobiſcum agens, demittit ſe, & quodammodo de ſua maieſtate deſcendit pacíſcens nobiſcum, & conſenſum noſtrum requirés, ſicut uniuerſa ſcriptura ab initio uſq; ad finem paſſim declarat. Ebo tu Soto, non legiſti Dei pactum cum Noe & cum Abraam & Iſaac & Iacob & cum populo illo, ac poſtmodo nobiſcum pactum nouum? Quòd ſi ualeret ratio tua, cuncta hæc pacta figmentum sunt & fabulæ, quia Deus his opus non habebat. Dices, Nihil ſcriptura dicit de conſenſu Adæ: ſed ſolum legimus præceptum illi factum. Sed nec tu legis quòd Adam receperit illa dona pro ſe & ſilys: & tamen id confiteris: quia etſi in ſcripturis non ſit expreſſum, rationibus tamen edu citur atq; euincitur. Roga te, quid erat circumciſio cum cõditionibus ſuis, niſi pactum? Audi quæſo Dei uerbum:

Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & uos et ſemen tuũ poſt te: Circumcidetur ex uobis omne maſculinum & circumcidetis carnem præputy ueſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & uos. Infans octo dierum circumcidetur in uobis, omne maſculinum in generationibus ueſtris: tam uernaculus, quam emptitius circumcidetur & Gene. xvii.

quicunq; non fuerit de ſtirpe ueſtra : eritq; pactum meum in carne ueſtra in fœdus in æternum . Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo : quia pactum meum irritum fecit. Ecce audis *pactum, et minen Abraæ conſenſum non legis. Id uero quamobrem, niſi quia non oportebat exprimere quod incuè poterat à non imperito ſubintelligi ? Quanq; reuera legimus in Eccleſiaſtico Adæ conſenſum, ubi legimus : Si uolueris mandata conſeruare & in perpetuum fidem placitam ſeruare &c. Quod autem ait, fidem placitam, quid eſt aliud, quàm fidem promiſſam, ut inde proculdubio conſenſus elicitur & pactum ? Scrutare ergo ſcripturas mi frater, & meditare profundius quæſtiones quæ circa huius peccati naturam emergunt : ac ſimul ea in quibus pariter conſentimus : et tunc experto cognoſces, ſi pactum tollis, manere illas inextricabiles.*

Ecclc.

Reprehendis ſecundo loco me quod ſcripſerim, originale peccatum primò ac propriè nihil aliud eſſe, quàm illud quod ipſi Adæ fuit actuale, quod tribus maximè rationibus compulſus fuim aſſerere. Primũ, quod huic ſententiæ adſtipulantur ſcripturæ ſanctæ & ipſamet uera ratio culpæ ac peccati. Nam peccatum originale, ut ipſe in hypotheſibus, te comprobante, oſtendi, oportet ut habeat ueram rationem culpa et imputabilitatis. Nõ autem inuenitur uera culpæ ratio niſi in actu aliquo inordinatè cõmiſſo contra Dei legem : ut hic liqueat, peccatum noſtrum originale non eſſe aliud quàm illud actuale Adæ quod tandem Caietanus uidit, et apud ſanctos patres de ſanctis ſcripturis ita clarè demonſtrari exiſtimo uel ex eo D. Pauli loco, ut meo iudicio qui nõ ſegniter animaduerit, perſuaſus euadat. Imò uerò ex suppoſitis, quæ ab hac ipſum conſuleò de tua diſputatione collegi, proculdubio hæc noſtra ſententia clarè deducitur. Si n. originale peccatũ quod in nos transfunditur eſt illud primum Adæ peccatum : profectò illud primum

non

non fuit nisi illud actuale, nimirum ille esus pomi. Præterea, si peccante Adam, et nos in illo peccauimus: profecto illud idem peccatum peccauimus: aut si non illud peccauimus, minusne illius peccati pœnas patiemur. Quòd si illud peccatum, nostrũ est et originale est, quid aliud quærimus? An forte pluribus peccatis illaqueamur? Quis ausit hæc noua et maudita nobis obtrudere? Verum hac de re fusius in opusculis nostris. Quia ergo rem iam actam agere superuacuũ duco: relego te (modo digneris) ad ea quæ scripsi et ad te mitam.

Hæc solum unicum tuum argumentũ refellam, quod huiusmodi est: Peccatum originale illud est (teste Apostola) quod transfusione recipitur. Illud autem actuale Adæ transfundi non potuit, quoniam confectum, ut potè actus, præteryit: Nõ ergo potest id dici peccatum originale. Ad quòd ego antequam quicquam moueres, iam in opusculis et in commentarijs nostris ad Romanos, qui iam editi sunt, tibi respondi his uerbis: Quæstio est, quonõ pacto illud peccatum intrasse dicatur in mundum, cùm fuerit actus quidam qui statim transyit? Respondemus, quòd licet peccatum illud transierit actu: manebat tamen semper reatu ante oculos Dei respicientis Adam ut peccati autorem et reum, in quo continebatur mundus. Ipse n. Adam qui peccauit, quantum in eo fuit, non desiuit a peccato, et in mundus qui fuit in illo, sub eo peccato inuolutus. Vnde et peccatum illud Adæ, peccatum mundi dicitur, sicut B. Ioannes Baptista dixit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hæc ego ibi. Paulus ergo peccatũ illud et mortem in mundum intrasse ait, quia illius peccati reatus (quod de more uocant peccatum) et ipsæ pœnæ peccati, quæ mortis nomine comprehenduntur, in mundum intrauerunt. Et hoc satis ad argumentum tuum, ut cernas quam facilè euanescat.

Superest modo tertium, ut in gratiam amicorum quorundam, tuam

peccati originalis definitionem exponam simul ac refellam. Quamuis eius ego eram sententiæ, initiam potius illam dimittere, eò quòd nihil hic uiderem periculi ne quis lector adeò esset stolidus et imperitus, ut illã probare posset quæ ad explicandum et intelligendum longe difficilior est, quàm ad confutandum. Illam tu hoc pacto uenatus es.

De natu. & grata lib. 1 cap. ix.

Originale peccatum, nihil aliud dixeris, quam peccatum a primo parente in prolem origine transfusum. Quamobrem ex peccato illo, contagio nostra, diiudicanda est. Vt id quod erat in illo formalis ratio peccati, relictum cognoscatur in nobis per modũ habitus. Et qui in illo effectus erant, itidẽ sint & effectus in nobis. Supponamus exempli gratia, primum peccatum Adæ fuisse esum ligni. Præcesserit n. superbia nec ne, nihil ad rem. Formalis tũc ratio illius criminis fuit obliquitas & deflexio animæ per voluntatem a lege & ordine Dei. Et quia Adam gerebat personam totius naturæ, quæ in ipso susceperat beneficium illud iustitiæ, permansurum in ea quandiu non peccasset: tota in ipso rea facta est illius præuaricationis, & ingrata iniustaq; effecta est deo. Quare deordinatio eadẽ & deformitas (vt verbis scholæ vtamur) illius actus manśit per modum habitus in fixa naturæ: quã proinde obliquitatem vna contrãhimus cum eadem natura. Quocirca vti cõcedendum est, peccatũ originale esse in nobis, ita neq; est negandum, quo minus sit, pro formali, carentia iustitiæ originalis: si modo iustitia etiam ipsa similiter accipiatur pro formali. Iam n. supra cap. v. retulimus ex S. Thoma 1. p. q. xcv. formale significatum iustitiæ originalis esse rectitudinem animæ ad Deum: materiata vero rectitudines alias, scilicet inferiorum virium animæ ad rationem, atq; corporis ad animam. In Adam, si rem æstimare consyderes, priuatio iustitiæ, quo ad primum ordinem, non fuit effectus peccati, sed formalis ipsa eius ratio: priuatio vero cõtra, eiusdem iustitiæ, quo ad alios duos ordines, non ratio peccati, sed effectus fuit. Ad hũc ipsum eundem modum priuatio in nobis rectitudinis prioris, est peccatũ originale: priuatio vero aliarum, est eiusdem peccati effectus.

Hæc tua sunt Soto. Contra quæ ut agã, interrogandus es mihi.

Primum, cùm peccatum priuationem eſſe dicas iuſtitiæ illius originalis qua parte rectificabat mentem reſpectu Dei, uelim ſcire, num tu intelligas iuſtitiam illam originalem, ſicut omnes intelligunt, fuiſſe certũ donum Dei & habitum quendam a Deo infuſum, quo decoratus fuit Adam, ut moueretur ad debitum amorem ac ſubiectionem Dei. Si iuſtitiæ illius originalis nomine hoc intelligis, falſa omnino eſt, & à temetipſo reprobata hæc tua definitio eò quod hæc priuatio huius doni, etiam circa partem ſuperiorem reſpectu Dei, non fuit Adæ peccatum, ſed effectus peccati. Modo tu ipſe confeſſus es, id quod non fuit in Adam peccatum, ſed effectus: ſimiliter nec eſſe in nobis peccatum, ſed effectus peccati.

Ad hæc, Illius priuationis autor eſt Deus, qui ſubtraxit Adæ illud donum. Ipſe autem peccati autor non eſt. Quòd ſi dixeris, illud fecit Deus quia meruimus: hoc potius contra te militat: Propter peccatũ ergo antecedens meruimus illam priuationem. Non igitur illa priuatio peccatum eſt originale, ſed quod prius patratũ illam promeruit.

At inquies, Per priuationem iuſtitiæ originalis intelligo illam Adæ inordinationem actualem quæ fuit formalis ratio illius actus inobedientiæ. Primum iam hic incipis nobis illudere, & uocum ſignificationes euertere: quoniam priuatio iuſtitiæ non importat actum noſtrum ullum, ſed negationem tantum eius doni quod erat Adæ datum & nobis promiſſum. Deinde illa inordinatio actualis Adæ tranſiuit, nec in nos transfunditur. Quere per te non poteſt dici peccatũ, qui actuale illud Adæ peccatum iccirco negaſti eſſe originale, contra nos agens, quia quũ tranſierit, transfundi nõ potuit. At originale peccatũ transfunditur.

Ad hæc, Illa actualis inordinatio quam tu uocas priuationem iuſtitiæ originalis, non fuit minus priuatio gratiæ, qua certè mens componebatur cum Deo. At gratiæ priuationem tu negas fuiſſe originale

peccatum, ſed ais fuiſſe effectum peccati: quod & uerum eſt.

Ad hæc, aut gratia erat idē prorſus quod illa originalis iuſtitia, qua parte Deo coniungebatur; aut erat aliud quiddā. Si erat idem prorſus, ſicut ipſe, ex doctrina B. Thomæ, magis probas: manifeſtè de perplexitate conuinceris. Si enim erat idem; dicens ergo tu, quòd priuatio illius iuſtitiæ fuit peccatum originale, conſequenter habes neceſſe fateri, priuationem gratiæ eſſe peccatum originale: quod omnem tu non negaſti.

Quòd ſi fortè à temetipſo recedēs dixeris, diuerſa fuiſſe dona illa, qua pars animæ ſuperior rectificabatur cum Deo: Alterum ſcilicet gratia, qua iungebatur homo Deo ad ſupernaturalem finē, qui eſt cœleſtis beatitudo: Alterum originalis iuſtitia, qua iungebatur homo Deo ad finem naturalem: (quod ego multò probabilius exiſtimo) etiā tunc non eſt tibi ulla ratio uocare originale peccatum magis priuationē illius iuſtitiæ, quàm gratiæ, cùm è conuerſa ratio ipſa ſuadeat: cuius ſignum eſt, quia in reparatione noſtra ubi peccatum originale tollitur, ſola gratia reſtituitur, non alia iuſtitia.

Ad hæc, cùm tu niteretis te a noſtris explicare argumentis, quibus aſtringebaris fateri, illud eſſe noſtrum peccatum originale, quòd Adæ ipſi fuit actuale, ēò quòd elorè dicitur ab Apoſtolo, quòd & nos illud peccauimus in Adam exiſtentes, & unus illius reatu (ut inquit Auguſtinus) omnes tenemur; in hunc modum reſpondes:

Concedimus quod illo tātum Adæ peccato peccauimus omnes, vt liquido monſtratum eſt.

Hæc tua uerba: Quid igitur obſtat quin illud ſit originale peccatū? Si enim illud eſt peccatū noſtrum ut fateris: aut eſt originale, aut quid aliud. Non quid aliud, quia nos aliter non peccauimus: Ergo originale. Licet enim, ut tu ſtatim ſubdis, non poteſt dici quis originaliter

peccare: illud tamen uerè dicitur, omnes nos originaliter peccaſſe; qa in origine noſtra peccauimus cum ille peccauit. Et illud idem eſt quod cõtrahimus, te dicente: Neq; negandum eſt, peccatum Adæ eſſe illud quod contrahimus. At quo pacto contrahimus quod eſſe deſyt? Ecce tuipſe ſubdis: Id tamen fit per hoc, quod reatus ille peccati relictus eſt in natura quæ in Adã peccauit. At nos, quid aliud dicimus, niſi illud peccatum, quod cum illo commiſimus, transfundi in nos, non in ſeipſo, ſed in effectibus ſuis, ideſt, in reatu & pœnis? At tu, ut cunctos imꝑplicares, peccatum illud originale, idẽ eſſe ais quod eſt reatus, aut ſaltem q̃ reatus culpæ eſt forma uel ratio formalis peccati. Et amplius, nihil aliud eſſe reatum illum, quàm reſpectum quendam ad præteritam culpam. Et hic poſſum merito exclamare O portenta o monſtra. Oro te, quid eſt propriè reatus niſi obligatio ad pœnam, ut omnes accipiunt, & B. Thomas eleganter declarat? Quomodo ergo peccatum originale eſt propriè peccatum ſi eſt reatus, ideſt, obligatio ad pœnam, cùm obligatio ad pœnam propriè peccatum non ſit, ſed a peccato ueniat, etſi ꝑ peccatum effectus? An non meminiſti B. Thomam hanc poſitionẽ merito damnantẽ dicentiũ, q̃ peccatũ originale nil aliud erat q̃ reatus?

Dices, imo dicis, q̃ peccatum originale non eſt reatus pœnæ, ſed culpæ. At ego rogo, quid intelligis per id quod ais eſſe reatum culpæ, quem diſtinguis a reatu pœnæ? Nunquid per reatũ culpæ ipſam culpam, aut quod ab ipſa procedit culpa? Si culpam ipſam, impropriè loqueris iuxta uim uocis & doctrinæ B. Thomæ. Aliud eſt enim culpa, aliud reatus. Si forma culpæ aut quod eſt ratio culpæ, quæ nil aliud eſt quàm deordinatio actualis: etiam impropriè loqueris & tamen idem fere dicis quod nos: niſi quòd nos illum actum cum ſua deordinatione dicimus eſſe peccatum. Illa enim actualis deordinatio, ut ſit forma peccati, oportet inueniri in actu. Quod ſi purus

reatum esse aliud quiddam distinctum à culpa: ergo per te originale peccatum non erit culpa, contra quod scribis. Et praeterea, si reatus culpae est aliud quid ab ipsa culpa, profectò nō potest esse aliud q̄ uel obligatio ad poenam uel poena ipsa: quorum neutrū habet rationem peccati, sed utrunq; a peccato descendit. Et certè phantasticum est cogitare reatum culpae quasi quoddam medium inter culpam & reatum poenae, ut ut à culpa duo reatus descendant, uidelicet reatus culpae, ac reatus poenae: quae ne dum non sunt opinabilia, uerùm nec intelligibilia.

Ad haec, si dicis, ut dicis, hunc reatū esse formalē rationē peccati, quā, quaesa, materiā eius peccati ponis? Non actū, non concupiscentiam, quam negas esse peccatum, sed ipsam animam uel essentiam animae. Per te igitur anima uel essentia eius, cum illa deordinatione erit peccatum. Quis haec ualeat somniare quamuis æger et melancholicus?

Ad haec, si peccatum originale mest in nobis per modum habitus, quomodo potest esse priuatio? siquidem priuatio sit potius carentia eius cuius habitus, et priuatio & habitus opponantur.

Ais, Illa obliquitas animi quae transeunte peccato manet & in nostra natura infixa est per modum habitus, illa est in nobis peccatū originale. Verùm illa obliquitas animi, primùm nō est priuatio iustitiae, sed ex ipsa priuatione iustitiae uenit. Deinde, numquid illa obliquitas animi fuit in Adam peccatum originale? Si negas; quomodo erga erit in nobis peccatum, te tam diudum ponente regulam: Quod non fuit peccatum Adae, nec esse nostrum. Si uero asseris, aut intelligis obliquitatem animi Adae actualem quando peccauit, aut eam quae mansit in eo post peccatum per modum habitus. si priorem intelligis, quomodo illam fingis transiisse, quae transyit? Si posteriorem: At illa nō fuit Adae peccatum, quae illi inhaesit per modum habitus: Ergo nec in nobis. Praeterea, per aduentum gratiae fuit in eo sublata illa obliquitas:

quomodo igitur est transfusa in nos per illum?

Ad hæc, Ais illum reatum culpæ esse respectum ad suum ipsius scilicet Adæ delictum. Sed respectus ad quodcunq; uelis, aliud est ab eo ad quod est respectus. Non ergo respectus, est Adæ delictum: ergo nec nostrum.

Plurima mihi occurrunt ni Soto contra hoc nostrum cluniacum commentum, quæ si prosequerer, profecto nimius essem. Nam si hæc non satis sunt quibus mouearis; nec quicquam satis esset quod possem adiungere: quamuis acuto lectori satis esse putabam considerare nouam & admirandam hanc ferruminationem, qua peccatum originale conflerus ex priuatione iustitiæ, obliquitate animi, reatu culpæ & respectu ad Adæ delictum siue ad præteritum culpam: quæ si tibi placent; absq; inuidia.

DISCEPTATIO QVARTA

De potentia liberi arbitrij in natura lapsa absq; gratia & speciali auxilio Dei.

XISTIMO *non excidisse tibi è memoria, cùm primùm ad synodum Tridentinã theologus accessisti, subortum ibi rumorem, quod in libellis quibusdam nostris (qui multo antè publicati, absq; vlla accusatione in manibus studiosorum uersabantur) quiddam offenderis quod hæresim saperet. Hoc autem erat, quòd scripseram, neminem in statu naturæ lapsæ, absq; auxilio Dei speciali, posse ullum bonum facere, quod uerè bonum etiam moraliter dici posset: ut propterea quodcunq; homo malis ageret, malum rectè dici possit & peccatum. In particularibus enim, ut ait B. Thomas, omnem actionem oportet uel bonam esse uel malam;*

non enim eſt inuenire mediam. Cùm igitur ob hunc rumorem, cuius auctor ipſe praedicabaris, te conueniſſem, & expoſtulaſſem iniuriam, quòd mihi prius non ſignificaſſes errata mea fraterne: tu, ut meminiſti, ſatis leniter locutus excuſaſti factum, tametſi quod ſcripſerim nõ placeret. Et quoniam adhuc a quibusdam qui tuo teſtimonio immerẽtur denuo infeſtabar: rurſum te conueni, et de re ipſa cum pauca egerimus, oſtendi tibi ex libro Reuerẽdiſs. Cardinalis et Epiſcopi Roſſenſis Viri ſanctiſſimi pariter ac doctiſſimi, quem aduerſus Lutherum ſcripſit, eandem prorſus quam tu in me corripiebas ſententiam ab illo probari: ut ſi me hæreticum faceres, prius illum faceres. Vidiſti, & me non falsò eſſe loquutum, fidelibus oculis perſpexiſti. Nec uerò ſolummodo Raſſenſis nobis aſtipulabatur, uerum etiam Capreolus noſter, qui id quod ego ſcripſeram, doctrinã eſſe B. Thomæ nõ obſcurè teſtatur. Quare tu hoc certo uidens, remiſiſti aliquid de cẽſura tua, et à periculo hæreſis liberatus ſum. Satis enim conſtabat, etiã Gregorium Arimmenſem idem tenuiſſe: &, ut non temerè exiſtimabat, ex ſententia B. Auguſtini, imo etiam Beati Thomæ. Cum igitur ſatis nè perſpiceres, non adeo facilè ac tum citò per te fieri hæreſim poſſe quæ a tantis uiris ueritas haberetur: hanc quæſtionẽ tractaſti in libro tuo de natura et gratia, & cuius nomine, aduerſus Epiſcopum Roſſenſem diſſeruiſti. quam uerò inefficaciter, meam̃ eſſe partium duxi tibi oſtendere: propterea quòd dum illum carpis, una me carpis, qui idem prorſus cũ illo ſentio. Non quòd fatear me illud ab eo didiciſſe, quod a ſcripturis et a patribus antea didiceram.

Capreolus

Gregorius Arimin.

D. Epiſco. Roſſenſis contra Luthetum, de lib. arb.

Præponam igitur prius quæ ille doctè & ſecundum ſcripturarum ac ueterum patrum teſtimonia eleganter concluſit his uerbis: *Speciale auxilium gratiæ non dicit cuiquam peccatori, niſi uel mulcerato, qualis Pharao fuerat, uel in ſenſum reprobum tradito, de cuiuſmodi*

iuſmodi Paulus loquitur ad Rom. 1. de quibus utrisq; certum eſt, quod auxilio Dei ſpecialis fuerunt deſtituti. At non opinor quoſq; peccatores uncommuniter a Deo deſeri: ſed quanquam extra gratiam fuerint, nihilominus hoc auxilium ſpeciale præſens eſſe, quo Deus ad eorum corda pulſat ut intret. Hæc dixi propter patres, quorum ſententiam ſequi malim, quam ſcholaſticorum, cum in hac re mutuò ſibi pugnent. Patres enim aſſerunt neminé poſſe quicquam boni uelle ſine ſpeciali Dei auxilio, nec ſufficere generalem illum influxum. Nonnulli contrà ſcholaſtici ſic cõtendunt hunc ſufficere, ut quis abſq; illo auxilio benè moraliter agere et bonum facere poſſit; non ſolum ex genere, uerum etiam quod debitis undiq; circunſtantijs ornatum ſit. At ſi ſcholaſticorum argutias aduerſus patres admittemus, ſequetur etiam, ut abſq; hoc auxilio Pharao quantumuis indurati cordis fuiſſet, & ij qui traditi fuerunt in reprobum ſenſum, potuiſſent bene moraliter agere: quod mihi ſanè credibile nõ eſt. Hæc ille.

Duo ergo ſint ſuper quibus eſt inter nos cõtrouerſia, et de quibus me oportet tecũ diſſerere. Primùm eſt, quod Dominus Deus nonnullos dimittit ſibiipſis, & in reprobum ſenſum tradit, ut nequeant conuerti & obtinere ſalutem. Alterum eſt, quòd nemo quicquam boni poteſt operari ex ui liberi arbitrij etiam moraliter, niſi ſpeciali Dei auxilio adiutus fuerit. Et de hoc ſecundo decreui tractare prius, & tuis argutijs (Hæc enim nomine ipſe Dominus Roſſenſis meritò ueſtras manes argumentationes appellauit) abſiſtere. De priore dicta, poſtea diſputabitur.

Verùm anteq; tecum congrediar, ut unde ueſtra deceptio exoriatur oſtendam, unum præmitto, ui delicet, hanc quæſtionem ab ipſis ſcripturis & à uera quæ inde proficiſcitur theologia cognoſcendam ac dirimendam eſſe: non à philoſophia, quæ ab elementis mundi huius fallacis

bus proficiſcitur. Hoc eſt enim quod tacitè Epiſcopus Roffenſis ſignificauit quum dixit, in hac quæſtione diſſidere ſcholaſticos à patribus, & ſe, reiectis ſcholaſticorum argutijs, patrũ ſententiæ adhærere: hac nimirum tacita ratione, quoniam patres ſcripturis magis incumbebant & illis inuitebantur: ſcholaſtici uero magis philoſophiæ: ut non ſit mirum, patres non aberraſſe à uero circa hoc: illos autem, ideſt, ſcholaſticos (B. Thomam excipio & penè dixerim B. Bonauenturam) aut certè eorum maiorem partem, quos tu ſecutus es, impegiſſe.

Dialogus. *Vt autem tandem clarius hæc manifeſtem, quo breuior ſermo fieret, decreui cunctam hanc diſputationem ad modum dialogi reducere, ut lector quaſi loquentes audiat te arguentem, ac me reſpondentem.*

SOTO. Poteſt homo abſq; donis illis & gratia & iuſtitia originali, per ſe' noſſe bonum & honeſtum abſq; auxilio Dei ſpecialis.

Ambr. *Petis principium. Hoc.n. erat quod in quæſtione uerſatur.*

Soto. Probo ſic. Vt per ſe notũ eſt in quantitate totum excellere partem: tam notum eſt & illud principiũ: Id facias alijs quod tibi vis fieri, & quæ inde ſunt conſequentia, vt honorare parentes &c.

Ambr. *Verè hoc in loco & ſi magnus philoſophus ſis, non tamen locutus es ex doctrina Philoſophi. Non enim æquè notum eſt quod in moralibus dicitur eſſe bonum ſiue iuſtũ et honeſtum, ſicut illud principium: Totum in quantitate, eſt maius ſua parte: quod eſt cuiq; euidentiſſimum. Vnde Philoſophus proponens tractatum moralium, ita*

Ariſtote. i. ethicorũ *ſcripſit: Dici ad ſufficientiã putandum erit, ſi ſecundum ſubiectam materiam declaretur. Nam certitudo quidem non eodem modo eſt in omnibus perquirenda: quemadmodum nec in artificium operibus. Honeſta uerò & iuſta de quibus ciuilis conſiderat, tantam uarietatẽ & diſcrepantiam habent, ut lege duntaxat, non autem natura conſtare uideantur. Talem quandam & ipſa bona habẽt uarietatem: propter*

rea quòd sæpe ab illis accidunt detrimenta. Iam .n. quidam ob diuitias periere; oly ob fortitudinem. Satis ergo fuerit de his & ex his loquentes grosso modo ac veluti per figuram veritatem ostendere, & secundum ea quæ plurimum fieri solent, de huiusmodi rebus transigere. Hæc Philosophus, quem exponens Diuus Thomas, latè declarat hãc *differentiam, quam experientia probat, inter certitudinem principiorũ speculabilium, ac moralium. O si vacaret, recitarem tibi ex variis sectis philosophorum tam varios de fine hominis sententias et tam varios ac peruersos diuersorum gentium mores et institutio, ut mirareris, & facile agnosceres erratum tuum: ac si vl puderet tuæ propositionis. præsertim quod tantopere de philosophiæ nostro gloriaris, & spernis alios.*

Soto. Possum tamẽ probare de scripturis sanctis id quod posui.

Ambr. Expecto si *quid nouum proferas.*

Soto. Primum ex Psalmo quarto vbi Dauid ait: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quod doctores intelligũt de lumine naturali.

Ambr. Ito loqueris perinde ac si Doctores *omnes illud sic intellexerint, hoc est, de lumine naturali, aut saltem sit hæc communis expositio doctorum: cùm reuera communiter sancti patres de lumine gratiæ supernaturali intelligant, nec quisq̃, quantum legerim, præter paucos qui de philosophia in scholis profecerunt, eum locum de lumine naturali interpretatus est, et meritò. Nã, & te ipso iudice si tibi velis esse cõstans, non potest de naturali lumine intelligi. Si .n. (ut iam statuisti) per se nota sunt bona, id est, quæ nobis agenda sunt: quomodo de his bonis Propheta intelligens, quæ per se nota sunt, diceret: Multi dicũt: Quis ostendit nobis bona? Tanquam si multi in per se notis aberrẽt. Et Philosophus ait: Quis aberret in seribus?*

bus proficiſcitur. Hoc eſt enim quaſi tacitè Epiſcopos Raſſenſis ſignificauit quum dixit, in hac quæſtione diſſidere ſcholaſticos à patribus, & ſe reiectis ſcholaſticorum argutijs, patrũ ſententiæ adhærere: hac nimirum tacita ratione, quoniam patres ſcripturis magis incumbebant & illis inuitebantur: ſcholaſtici uero magis philoſophiæ: ut non ſit mirum, patres non aberraſſe à uero circa hæc: illos autem, ideſt, ſcholaſticos (B. Thomam excipio & penè dixerim B. Bonauenturam) aut certè eorum maiorem partem, quos tu ſecutus es, impegiſſe.

Vt autem tandem clarius hæc manifeſtem, quo breuior ſermo fieret, decreui cunctam hanc diſputationem ad modum dialogi reducere, ut lector quaſi loquentes audiat te arguentem, ac me reſpondentem.

Dialogus.

SOTO. Poteſt homo abſq; donis illis & gratia & iuſtitia originali, per ſe noſſe bonum & honeſtum abſq; auxilio Dei ſpecialis.

Ambr. Petis principium. Hoc.n. erat quod in quæſtione uerſatur.

Soto. Probo ſic. Vt per ſe notũ eſt in quantitate totum excellere partem: tam notum eſt & illud principiũ: Id facias alijs quod tibi vis fieri, & quæ inde ſunt conſequentia, vt honorare parentes &c.

Ambr. Verè hoc in loco & ſi magnus philoſophus ſis, non tamen locutus es ex doctrina Philoſophi. Non enim æquè notum eſt quod in moralibus dicitur eſſe bonum ſiue iuſtũ et honeſtum, ſicut illud principium: Totum in quantitate, eſt maius ſua parte: quod eſt cuiq; euidentiſſimum. Vnde Philoſophus proponens tractatum moralium, ita ſcripſit. Dicta ad ſufficientiã putandum erit, ſi ſecundum ſubiectam materiam declaretur. Nam certitudo quidem non eodem modo eſt in omnibus perquirenda: quemadmodum nec in artificiam operibus. Honeſta uerò & iuſta de quibus ciuilis conſiderat, tantam uarietatẽ & diſcrepantiam habent, ut lege duntaxat, non autem natura conſtare uideantur. Talem quandam & ipſa bona habẽt uarietatem: propte-

Ariſtote. i. ethicorũ

rea quòd sæpe ab illis acci dunt detrimenta. Iam .n quidam ob diuitias periere : oly ob fortitudinem. Satis erga fuerit de his & ex his loquentes grosso modo ac uelut per figuram ueritatem ostendere, & secundum ea quæ plurimum fieri solent, de huiusmodi rebus transigere. Hæc Philosophus, quem exponens Diuus Thomas, latè declarat hãc differentiam, quam experientia probat, inter certitudinem principiorũ speculabilium, ac moralium. O si uacaret, recitarem tibi ex uarijs sectis philosophorum tam uarias de fine hominis sententias et tam uarios ac peruersas diuersarum gentium mores et instituta, ut mirareris, & facilè agnosceres errorem tuum: ac si ul puderet tuæ propositionis: præsertim quòd tantopere de philosophiæ notitia gloriaris, & spernis alios.

Soto. Possum tamẽ probare de scripturis sanctis id quod posui.

Ambr. Expecto si quid nouum proferas.

Soto. Primum ex Psalmo quarto vbi Dauid ait: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quod doctores intelligũt de lumine naturali.

Ambr. Ita loqueris perindè ac si Doctores omnes illud sic intellexerint, hoc est, de lumine naturali, aut saltem sit hæc communis expositio doctorum: cùm reuera communiter sancti patres de lumine gratiæ supernaturali intelligant, nec quisq; quantum legerim, præter paucos qui de philosophia in scholis profecerunt, eum locum de lumine naturali interpretatus est, et meritò. Nã, & te ipsa iudice si tibi uelis esse cõstans, non potest de naturali lumine intelligi. Si n. (ut tam statuisti) per se nota sunt bona, id est, quæ nobis agenda sunt: quomodo de his bonis Propheta intelligens, quæ per se nota sunt, diceret: Multi dicũt: Quis ostendit nobis bona? Tanquam si multi in per se notis aberrẽt. Et Philosophus ait: Quis aberret in foribus?

Præterea, quomodo Propheta quærentes quæ eſſent uerè honeſta ac bona, remitteret eos ad lumen naturale, quod ad hunc finem potius tenebroſum eſt, & non magis ad legem Dei ſcriptam & ſupernaturale lumen, quod frequentiſſimè implorabat, dicens: Illumina tenebras meas. Et: Illuminet uultum ſuum ſuper nos. Et: Emitte lucem tuam & ueritatem tuam. Et penè in quouis pſalmo, diuinæ legis ſcientiam & intellectus illuminationem poſcit a Deo. Quod ſi de lumine naturali Dauid intellexiſſet, commodius dixiſſet. Signatum eſt ſuper eos lumen uultus tui Domine: non autem conuertens ſermonẽ ad Deum dixiſſet: Signatum eſt ſuper nos. Vt appareat quòd illa non erat interrogatio uolentium ſcire honeſtum, ſed exprobrantium potius fidelibus ſuam fidẽ, quaſi a leuitate uenientẽ, unde ſperarent felicitatẽ æternã.

Verus ergo & germanus eius loci intellectus, ſicut ſancti patres declararerũt, ille eſt, quòd multi incredduli de futuris bonis uenturi ſæculi, quæ prophetica lex prædicabat ac pollicebatur iuſtis, irridentes obiectabant Quis oſtendit nobis bona? Sic alibi deſcribuntur, dicentes, Deus per cœli cardines ambulat & quæ noſtra ſunt non cõſiderat. Non eſt refrigerium nec remediũ in fine hominis, et non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. Hoc eſt dicere, Quis oſtẽdit nobis bona? Sed fideles ex propheta eo in loco confitentes dicunt. Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo, hoc eſt, lumen fidei, quo ſignantur iuſti, quorum perſonam Dauid in ſe ſuo mens dixit: Signatum eſt ſuper nos, id eſt, ſuper eos qui amici & filij Dei facti ſunt: quo lumine hæc bona proſpiciuntur ac deſiderantur. Vnde B. Paulus, poſtq; dixit A ſeculo non audierunt &c, adiecit: Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuũ. Et hic addit Propheta: Dediſti lætitiam in corde meo. Hæc lætitia fructus eſt Spiritus, & ab ea lumine uenit quo æterna bona ſciuntur non à naturali, à quo

nõnſi cõtritio infelicitas et afflictio ſpiritus. Vnde ipſe B. Paulus: Fructus, inquit, Spũs eſt charitas, gaudium, pax. Et hic Prophem inquit, dediſti lętitiã in corde meo. In pace in idipſum dormiã et requieſcã. Nec eſt prętereundũ, q̃ iuxta hebraicam ueritatẽ non legitur: Signatum eſt. ſed per modum precantis. Leua, ſeu extende, uel exalta ſignum ſuper nos lumen uultus tui. ut apparet in translatione B. Hieronymi et omniũ qui ad hebraicã ueritatẽ conati ſunt ſenſum reddere: ut Felix, Sanctes, et reliqui penitus omnes magno cõſenſu. D. Hiero. Et hanc lectionem ſequitur Caietanus, abiecta illa quæ eſt communis editionis. Quo fit manifeſtum, non poſſe intelligi de naturali lumine, de quo non oportet orare ut detur nobis quod cũ natura ſuſcepimus. Vide modo frater Chriſtiſſime quam negligẽter diſſeruerit, et ad pauca reſpiciens, quàm inconſiderate dixerit doctores ad eum modum, id eſt, de lumine naturali locũ illum interpretatos eſſe: quòd eſt lectorem decipere: quandoquidem Magnus ille Gregorius Nazanzenus, & D. Hieronymus in ſuis commentarijs, & ſimiliter B. Auguſtinus, et D. Chryſoſtomus, et Caſſiodorus, et Euthymius, & Arnobius, et Aimo, & quicunq; ueterum ſuper pſalmos ſcripſerunt, de lumine fidei intellexerũt. Tuæ uerò interpretationis ne meminerunt quidẽ. Eſt et in catena græcorum ueterum doctorum, quæ in bibliotheca Ro. Pontificis aſſeruatur, breuis eius loci expoſitio his uerbis: Ex infidelitate multi hoc dicunt: Quis oſtendit nobis bona? Non conſiderantes quid ſit ſpes iuſto. Atq; illi quidem diuinæ prouidentiæ diffidentes, audent illud dicere. In nobis autẽ cognitus eſt filius tuus. Hæc ibi. Idem ſenſit D. Bernardus in Epiſtola cvij. Non me latet B. Thomam utriuſq; expoſitionis meminiſſe: ſed noſtram a patribus accepit: illã a ſcholis. Nam et Magiſter ſententiarum quantum patrum auctoritate meritò innitebatur, in commentarijs ſuis ſuper pſalmos ſo-

lum noſtram expoſitionem tractat: De tua verò nec verbum quidem. Non enim niſi quod in antiquis inuenerat, auſus eſt quicquam adycere. Quo mabrem Dionyſius Carthuſianus qui non ignorabat etiam ſchos laſticorum quorundam doctrinam, qui ad philoſophiam nonunquam detorquent importunè ſcripturas: cum hunc locum tractaret, ſanctarum patrum ſensum ut veriorem probauit et ſecutus eſt. quoniam et priora et ea quæ ſequuntur, proculdubio tuæ intelligentiæ refragantur.

Præterea non conſideraſti, quòd et ſi tuum illum ſensum ad illum verſiculum admitteremus, non propterea probaretur quod inde concludis, videlicet, ſatis eſſe lumen illud ſine ſpeciali aliquo Dei auxilio tum ad intelligendum plenè ac verè quod bonum eſt morale, tum præcipuè ad executionem. Et eſt manifeſta fallacia & pelagianus error ab Eccleſia reprobatus, dicere, quòd ad cognitionem boni ſequatur eius electio et proſecutio: quod & etiniei non ignorarunt. Vnde quidam: Video meliora probóq, deteriora ſequor. Et B. Bernardus ait: Nō eſt eiusdem facilitatis ſcire quid faciendum ſit, et facere. Alioquin ſi à noſſe ſequitur etiam poſſe, poſſet homa abſolutè totum bonum et honeſtum ex ſe facere: quia totum, ut uis, etiam ex ſe poteſt noſſe: quod tamen tu ipſe negas. Miſerum me qui cogor de tam manifeſtis et tam reprobatis, et quæ aſſidua experientia eſſe falſa commonſtrat, diſputare. Hoc enim Pelagy argumentum erat, A boni notitia ui liberi arbitry, etiam obtinendi facultatem conſequi.

Soto. Quid eſt ergo quod Paulus inducit philoſophos Dei veritatē intellexiſſe, & quia nō ſunt eam ſectati, facti inexcuſabiles?

Ambr. B. Paulus circunſpectiſſimè loquutus dicat, quòd in Euāgelio reuelatur ira Dei de Cœlo aduerſus impios atq, iniuſtos, qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinent. Loquitur autem de illa Dei veritate quæ eſt, quod unicuiq, reddet ſecundum opera ſua. Hanc aūt

ueritatem etiam philoſophi potuerunt coniectare, ſed non niſi ipſius Dei adiutorio & lumine ſuperinfuſo pernoſcere. Vnde ait: Quia quod notum ſiue quod noſcibile eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. En ut aperte præter *generalem influxum indicat diuinam opem, qua manifeſtata eſt Dei ueritas illis mũdi ſapientibus, in qua tamen doctrina nõ profecerũt, ac propterea facti ſũt inexcuſabiles. Non negamus, per ea quæ ſunt uiſibilia, ad ea quæ ſũt inuiſibilia Dei proceſſum eſſe: ſed non abſq; ſpeciali Dei auxilio & informatione: ut non totum naturæ tribuamus.* Quapropter B. Anſelmus, qui à B. Auguſtini doctrina neq; tantillum receſſit, hunc locum his uerbis expoſuit: *Deus manifeſtauit, id eſt, non ſolum naturalis ratio profuit, ſed Deus quotidie adiuuit, ne ſola natura ſufficere uideretur. Hæc D. Anſelmus contra te directo. Nec putes hanc eſſe ſuã duntaxat ſententiam. A uerbis n. ipſis B. Pauli accepit & à ſanctorum patrũ doctrina. Quid .n. oportuit illud addere: Deus .n. illis manifeſtauit: Numquid ut per illud agnoſceremus generalẽ influxũ? O quam parum illuſtris ſenſus, nec dignus apoſtolico Doctore, qui Dei munera & gratiam nobis reuelabat, non quæ erant bona naturæ, quæ poterant cuiq; patere. Iam .n. quis neſciat Deum concurrere cũ omni agente naturali? Sed hoc non ſpectat ad beneficium & gratiã, iuxta intellectum ſcripturarum. ſicut B. Auguſtinus aduerſus pelagianos eleganter oſtendit. Quod .n. eſt gratiæ, adycitur ipſi naturæ.* D. Anſel.

Soto. Verum alius locus eſt Apoſtoli vbi ait: Factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſũt faciunt &c. Ecce manifeſte de gentibus loquens, virtutem expeditam ſupponit, q̃ naturaliter, ideſt, ex naturæ viribus poſſunt facere quæ ſunt legis naturæ. Quod autem dicit naturaliter, excludit gratiam & auxilium gratiæ.

Ambr. Plures ac magnos errores ex hoc Pauli loco imbibiſti mi frater.

Primus eſt, quòd putaſti, abſq; ſupernaturali dono fidei & gratiæ, contingere poſſe homini ſalutem & æternam vitam; Nam ſatis eſſe ſeruare legem naturalem ſi non fuerit facta alia reuelatio deſuper: & (quod iniquius ſint) hanc hæreſim Beato Hieronymo & Thomæ immeritò aſcripſiſti.

Soto. At inutilium eſt illud mihi obiicere, quod retractans ego met reprobaui ac reieci.

Ambr. Fateor, *et in hoc te laudo. Laudarem autem omniſariam; ſi & alia retractaſſes quæ tibi oſtendi, et quæ etiam hoc libro oſtendam nonnullius momenti errata. Nam illud quod nouus magnificator naturæ attexuiſti, videlicet, beatitudinem vitæ Cæleſtis ſimpliciter eſſe nobis naturalem, certè non retractaſti.*

SOTO. Quia nec puto eſſe errorem. Nam illum finem naturaliter appetimus.

Ambr. *Quomodo naturaliter id quod et ſupernaturali lumine cognoſcimus et ex ſupernaturali dono, quod eſt charitas, appetimus, nõ ut homines in natura noſtra conſiſtentes, ſed ut filij Dei in cæleſtem eleuati naturam? Sed non diuertamus, obſecro, a re propoſita, et videamus quo pacto illum Apoſtoli locum tractes in commentarijs tuis. Illam enim priorem particulam: Factores legis iuſtificabũtur ſic expones: Cùm ſit duplex apud Paulũ iuſtitia, videlicet, iuſtitia operũ & iuſtitia fidei: Apoſtolus ibi loquitur de iuſtitia operum, non tamen præſcindendo fidem, ſed in genere.* Hæc tu ad literam. *Sed hoc eſt deſtruere, non exponere locum illum: quoniam aperte loquitur de iuſtificatione quæ eſt apud Deum, ſicut ſilum ſermonis indicat manifeſtè. Ait enim: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur: nimirum apud Deum, ut aduerſatiua illa particula* SED, *ex ſua natura deposcit. Porro iuſtificatio*

apud

apud Deum eſt a fidei iuſtitia: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et reuera falſiſſimum eſt apud B. Paulum & uniuerſam ſcripturam, quòd ſine fide & gratia poſſit quiſpiam facere legem, ut uerè quis dicatur factor legis. Id .n. proculdubio pelagianum eſt. Nec quia unum aut alterum opus legis fiat, dicitur quis uerè ac proprie facere legem. Alioquin falſum dixiſſet ſumma Veritas, quæ dixit ad Iudæos. Nemo ueſtrum facit legem: cùm multa facerent quæ erant legis: ut dare decimas, & ſeruare ſabbatum, & pleraq; alia, de quibus dixit Dominus quòd omitti non debebant. Facere ergo propriè legem eſt, implere legem: quod abſq; fidei iuſtitia fieri poſſe, nõ niſi pelagianus poteſt aſſerere. Quòd item attinet ad ſequentem partitionem: Cùm .n. gentes, quæ legem non habent &c. eodem errore falſus, peſſimè interpretaris, & more tuo etiam perplexè. Ais enim:

Id ſolum hic adſtruere Paulum, quod poſſit naturaliter homo legem implere, quantum ad ſubſtantiam operum, quæ ſint moraliter bona, non tamen quantum ad intentionem præcipientis vt ſint coram Deo meritoria. Illud .n. vires naturæ non excedunt, pro vt lib. 1 de nat. & gra. diſputauimus. Vbi etiam demarrauimus, quemadmodum primi parentes, natura integra, hoc eſt, parte ſenſitiua per iuſtitiam originalem rationi ſubdita, potentes naturaliter implere præcepta omnia quo ad ſubſtantiam operis: nos vero in natura lapſa non omnia, ſed tamen aliqua. Licet tam illi quam nos nequimus abſq; gratia vllum meritorie implere. Et id circo non ait hic, gẽtes naturaliter omnia, ſed aliqua quæ legis ſũt facere. Hanc equidem expoſitionem adeo arbitror nõ reprobandam, vt ſine intellectam, neceſſariam exiſtimem.

Hæc tua ſunt uerba, in quibus in primis ut perplexius pateat, ais: Poſſe hominem naturaliter legem implere quantum ad ſubſtantiam operum quæ ſint moraliter bona. Et nihilominus ipſe idem ais, quòd non poteſt omnia legis opera facere. At qui non omnia opera legis facit,

impleſſe legem non dicitur. Imò reuera nec aliquid legis: quoniam q in uno offendit, omnium factus eſt reus, teſte B. Iacobo. Item ais, Paulum non dicere hic gentes naturaliter omnia, ſed aliqua quæ legis ſunt facere. Quis tibi hoc dedit mutare uerba Apoſtoli? Non n. dixit aliqua quæ ſunt legis Paulus, ſed indefinitè, Quæ legis ſunt. AEquipollet autem indefinito hæc oratio uniuerſali. *Eſt n. græcus articulus, qui demonſtrat, non illa certa aut illa, ſed abſolutè quæ ſunt legis. Sic n. legimus, τὰ τοῦ νόμου ποιῶ. Vide ergo mi frater, quomodo loquaris, & emenda quæ ſunt inconſideratè effuſa, ſi quid uerò ueris uirorum doctorum cenſurâ. Sed ut amplius poteat falſitas expoſitionis tuæ, ſi quis nolit omnino ſenſum Apoſtoli deſtruere, ſuperioribus et inferioribus rectè, ut cõgruit, optare oportet uerba ſua illa: Cum n. gentes &c. Attexuntur n. ſuperiori dicto, tanquam eius dicti declarationem continentia, contra Iudæos, qui gloriabantur de lege ſibi data. Dixerat n. B. Paulus hanc eſſe meram gloriationem apud Deum, & ſi apud homines aliquid eſſe uideretur. Idq; ex eo quòd apud Deum non auditores legis tantum iuſtificabuntur, ſed factores legis. Quamobrem ſi factores legis inueniãtur ex gentibus (ut certè inuenebantur) etſi nõ habuiſſent legem a Deo traditam in tabulis, tamen iuſtificabantur apud Deum. Et ne dicerent: Quomodo poterãt facere gentes ea quæ erant legis, cùm non eſſent inſtructi a Deo? Reſpõdet, q̃ inſtructionẽ naturæ habebãt: neq; tamen per hoc excluditur, Dei auxilium in intellectione, nec item excluditur gratia in executione eorum, quæ erant legis. Vnde B. Thomas, quem tu poſſimè interpretatus es, eum locum ſic exponit ad literam: Sed quod dicit, Naturaliter, dubitationem habet. Videtur n. patrocinari pelagianis, qui dicebant, quòd homo per ſua naturalia poterat omnia præcepta legis ſeruare. Vnde exponendum eſt. Naturaliter, id eſt, per naturam gratiæ,*

D. Thom. in Epiſtolã ad Roma.

reformatum. Loquitur n. de gentibus ad fidem conuerſis, qui auxilio gratiæ Chriſti cœperant moralia legis obſeruare. Vel poteſt dici, naturaliter, id eſt, per legem naturalem oſtendentem eis quid ſit agendum: ſecundum illud pſal: Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Signatum &c. Quod eſt lumen rationis naturalis in qua eſt imago Dei: & tamen non excluditur quin neceſſaria ſit gratia ad mouendū affectum: ſicut etiā per legem eſt cognitio peccati, ut dicitur infra .vij. & tamen ulterius requiritur gratia ad mouendum affectum. Hæc D. Thomas. Ex quibus patet primùm extra controuerſiam, quod ille intellexit hūc locū de legis implemēta, hoc eſt, omniū præceptorum, & apertè ſubintellexit gratiam Dei, ſine qua, pro conſtanti habuit, quod impleri non poſſunt, etſi natura monſtrante intelligantur, in quo nec excludit fidem, ſine qua non eſt gratia, ac proinde nec auxilium Dei ſpeciale. Quòd uerò totus ille locus pertineat ad gentes quæ fide & gratia Dei caſſæ non erant, præter autoritatem D. Auguſtini: abundè ab inferiore Apoſtoli cōcluſione deducitur. Ipſe .n. concludit, quòd ſi præputium iuſtitias legis cuſtodiat ſeu legē cōſummet, hoc eſt, perficiat: quod eſt gentes omnia facere quæ ſunt legis, imputabitur illi in circumciſionem, & iudicabit circumciſum carne & non corde: hoc eſt, homo gentilis, non carne, ſed ſpiritualiter circumciſus (quod fit per infuſionem Spiritus ſancti) ſi obſeruet & perficiat legem, non ſi aliqua legis faciat, ſed ſi legē perficiat, habebitur pro circumciſo apud Deum: quoniam illi mandata non erat circumciſio carnis: et ipſe corde circumciſus iudicabit hominem iudæum, qui inueniatur carne tantum circumciſus, nō corde, et conſequenter legis præuaricator.

Et ex his latè patet quàm nihil tibi ſeruiant quæ de ſcripturis produxiſti et conſequentiam peſſimam aſtruxiſti, quam D. Auguſtinus et

Apoſto. Sedes ī pelagianos.

Sedes Apoſtolica et ſacra concilia damnauerunt, ut potè pelagianam. Tu enim ab eo quod naturaliter noſci poteſt eſſe bonum, educis etiam naturaliter poſſe confici.

Soto. Iniuria me afficis, qui me pelagianum falſo conſtituis a cuius dogmate valde diſtat quod dico. Ipſe enim putabat poſſe cō fici naturaliter bonum ad meritum & lucrum gratiæ & præmii: quod ego deteſtor.

Ambr. Verum hæc eſt mens Eccleſiæ: reuera ſi poſſet homo totum bonum & honeſtum naturale perficere, ſaltem de congruo mereretur gratiam ac ſalutem: ut ſæpenumero B. Auguſtinus in pelagianos obiectat. Et eſt doctrina B. Thomæ, quòd qui benè ſe geſſit, & uſus eſt datis in ordine inferiori, meretur de congruo extolli ad altiorem gradum & ordinem.

Soto. Numquid ego dico, quod quis poſſit legem perficere, cum tam explicate dixerim, quod non poteſt homo in puris naturalibus ſeruare omnia, ſed aliqua facere.

Ambr. Modo dicis, modo negas. Si enim valet argumentum tuum, ut à noſſe ſequatur poſſe, & noſſe totum non negas, etiam confiteris neceſſe habes etiam totum poſſe. Quòd ſi ab argumento recedis, & dictum tenes quid poſſit non omnia legis, ſed aliqua facere; quomodo interpretaris quæ ſunt a Sede Apoſtolica deciſa contra te? Cœleſtinus enim ſummus Pontifex redigens in breuem ſummam errores Pelagy, ſeptimum articulum aduerſus illum his uerbis propoſuit:

QVOD NEMO NISI PER CHRISTVM LIBERO BENE VTATVR ARBITRIO.

Hic non dicit ad meritum, quod debuit dicere, ne ſimpliciter ſic dicendo, falſus redderetur articulus. Imò cùm redditur ratio articuli, illa redditur quæ tuam poſitionem deſtruit. Eſt n. ratio, quia peccato illo,

corrupta eſt natura, et læſum liberum arbitrium, et infirmum factum, ut non poſſit in bonum ſuis uiribus, ſed in malum tantum. Hæc eſt D. *Auguſtini doctrina in libro de Spiritu & litera cap.ıy. ubi ait:* Nam neq; *liberum arbitrium quicq; niſi ad peccandum ualet, ſi lateat* B. Augu. *ueritatis uia. Et cùm id quod agendum & quo nitendum eſt cœperit non latere: niſi etiam delectet & ametur: non agitur, non ſuſcipitur, non benè uiuitur.* Hæc ille.

Soto. Non intelligis Auguſtini mentem. Quod enim ait: Liberum arbitrium non valere niſi ad peccandum ſi lateat veritatis via: de vtroq; lumine diuerſo tamen modo intelligendum eſt: nimirū quod ſine lumine naturali nullū fieri valeat opus moraliter bonū, neq; ſine lumine fidei meritorium æterna vitæ.

Ambr. *Quis hic mihi non indulgeat exclamanti, O portentum, O monſtra. Siccine interpremendi ſunt Doctores Sancti? Hocne eſt Auguſtini dictum, quod ſine lumine naturali nō poteſt fieri opus ullum bonum morale? Certè ſine lumine naturali, nec bonum poteſt fieri opus nec malum moraliter. Sed nunquid tu hominem eſſe putas qui lumine careat naturali? Præterea, cur inuertis uerba glorioſi Doctoris? Ipſe enim ait, quòd liberum arbitrium, ſi lateat ueritatis uia, non ualet niſi ad peccandum. Et certè ſine naturali lumine, ut tu exponis, ad peccandum ualere non poteſt. Hem non ſentis tuiſmet argutys te cōfutari? Sed ſunt B. Auguſtini ſententiæ ſimiles alys locis. Ipſe n. libro ıy. cap. 3. aduerſus duas Epiſtolas pelagianorum ad Bonifacium Papam ita ſcribit: Sine fide, etiam quæ uidentur opera bona, in peccata uertuntur. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et cap. vıy. inquit abſolutè. Liberum arbitrium captiuatum, non niſi ad peccatum ualet. Vocat captiuatum quod in ſtatu antiquæ captiuitatis manet non reformatum per gratiam.*

Soto. Non poteſt Auguſtinus neq; alius quiſquam, contra uiuas ac validas rationes noſtras quicquam obtinere.

Ambr. Perge igitur argumentari:

Soto. Cognitio rerum agibilium non eſt a natura ſua niſi propter opus: autor eſt Ariſtoteles. 2. Eth. Si igitur vi intellectus potuiſſet homo noſſe bonum, potuiſſet & illud per voluntatem nonnunquam proſequi amore, et actione præſtare. Homo enim eſt animal rationale, ideſt, aptum natũ ſecundum rationẽ viuere.

Ambr. Talis eſt ſecundum partem ſuperiorem: At ſecundum inferiorem partem contrà, aptum natum eſt aduerſus rationem uiuere. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ut in plurimis patet, etiam ijs qui non carent auxilio ſpeciali & gratia Dei, adeò grauantur illo iugo de quo quidam ſapiens: Iugum graue, inquit, ſuper filios Adam a die exitus de uentre matris eorum uſq; in diem ſepulturæ.

Eccle.

SOTO. Eſt perſuaſu impoſſibile, uires ineſſe ſenſualitati expugnãdi rationem, nullam tamen ſuppetere uirtutem a natura homini, vt ratione uicißim ſupetet ſenſualitatem, cum hoc maxime naturale ſit homini: illud autem contra ſuam naturam.

Ambr. Mihi uerò eſt perſuaſu impoſſibile, ſi quod ſeruit, ſuperet dominum. Tu uerò qui te D. Pauli profiteris interpretem, adhuc non intelligis quòd in homine dominatur concupiſcentia rationi, nec eſſe innaturale obedire ſeruum domino ſuo.

Soto. Miraculũ eſſet, quod facultas adeſſet naturalis rebus cæteris, tam inanimis, quã animãtibus obtinendi ſuos ipſarũ fines, & tamen digniſſimo animalium homini nõ ſuppeteret a natura ſua uires, vt certo in moribus præſcripto fine quandoq; potiretur.

Ambr. In hoc eſt omne peccatum ueſtrum, quia non cognoſcitis naturam, iuxta doctrinã ſcripturarum et ſanctorum Patrum, integrã et corruptã. Verè miraculum eſſet de natura integra id quod ais: at de natura corrupta, de qua eſt ſermo, è conuerſo miraculũ potius eſſet, ſi poſſet perficere opus rationis aut quicq; uerè bonum morale efficere,

quod ſuo fini naturali, naturali inquam, nõ ſupernaturali, conueniret. Naturale .n. eſt homini ſecundum rationem, habere finem ſuum Deũ et gloriam eius ſuper omnia, etiam ſuper ſeipſũ. At in natura corrupta, teſte etiam B. Thoma, non diligit homo Deum ſuper omnia, ſed nequit: quia caro eſt, et ſemetipſum præponit omnibus, etiam Deo. Amor ſui, cuius gratia cuncta facit homo corruptæ mẽtis, omnia opera coinquinat, ut non queant uerè eſſe bona moraliter ſecundum uerum etiam naturalem finem. An non legiſti: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, et ſimilis factus eſt illis? Nunc rogo te, utrum miraculum ſit non progredi à iumentis quicquam rationabile.

Soto. Profecto ſi natura humana figmentum eſſet cacodæmonis, non poſſis de illa obloqueremini.

Ambr. Verè opus eſt cacodæmonis natura humana in eo quod corrupta eſt & lapſa, et ſemimortua relicta. Nam in eo quod uiuit, ſeruit peccato, & libera eſt iuſtitiæ, ut ait Apoſtolus.

Soto. Quid ſi Deus ab initio creaſſet hominem in puris naturalibus? Hic non poteſtis dicere naturam lapſam vel corruptam. Quid ergo tunc? Non poſſet quicquam operis facere moraliter bonum?

Ambr. Verè ſi ſic creatus eſſet homo, non eſſet natura lapſa ſeu corrupta: ſed eſſet infirma et imperfecta & monſtruoſa, nec quicquã uerè bonum operari poſſet. quia quod natura eſſet dignius et ſuperius, ſeruiret uiliori et inferiori, ideſt, ratio carni. Et propterea Deus ab initio non ita fecit: ſicut nec fecit hominem ſine pedibus & manibus, cuius opera perfecta ſunt. Et hoc eſt quod dixit Sapiens, Deus ab initio fecit hominem rectum: ipſe autem ſe immiſcuit quæſtionibus multis. Qua in re cum cæteris philoſophis erras: ſed tu eò periculoſius, quòd habes ſcripturas & fidem, illi uerò hac luce caruerunt.

Soto. At experientia mihi egregie attestatur. Fatentur .n. etiam aduersarii nostri, vires liberi arbitrii nobis suppetere vt valeamus agros colere, plantare vineas, conuersari cum amicis.

Ambr. Ergo *bona moraliter facere? Sic igitur & formicæ & apes & cœli uolucres et quæ gregatim pascuntur aut uolant animantia terræ, quæ sibi ædificant nidos & procurant sibi cibos & amicè simul uictitant, cantillant, & alia plurima faciunt, quæ nos cum delectatione admiramur; tuo iudicio facerent bona moralia.*

Soto. At illa absq; ratione faciunt, nec ex consilio libere. Homines autem ex ratione & electione. Nec solum quæ sint artis, verum quæ ad prudentiam attinent & bonos mores. Sunt enim qui sine Dei gratia aut speciali auxilio, interdum opera pietatis & iustitiæ exercent in parentes, in patriam, in amicos, in pauperes, nec vllo malo fine, sed tantum vt agant quæ sunt honesta. Tales igitur, quales certum est fuisse ex gentibus multos, tu negabis fecisse opera bona & iusta? Nec audis Augustinum dicentem, Nihil prodesse impio sua aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Ecce vt confitetur, bona esse aliqua opera etiam impii hominis ac pessimi.

Ambr. Duplici errore *in hac tua disputatione laboras. Primus est, quòd non distinguis inter bona opera, neq; cognitis quòd non quodcunq; opus quod bonum est ex genere, ut aiunt scholastici, siue ex officio, ut* B. *Augustinus loquitur, continuò bonum est simpliciter & absolutè, etiam moraliter. Nam multa huiusmodi quæ etiam pessimi homines interdum agunt, possunt esse & uerè sunt moraliter mala & peccata: ut eleemosynã dare gloriæ capiendæ aut decipiendi homines gratia per hypocrisim. Tu uero quod est bonum ex genere, etiam moraliter bonum facis, ut apparet in tuo illo libro de natura & gratia capite .xx. Vnde quia non aliter q; tu, Iulianus Pelagy sectator argumentabatur; hic afferam ea quæ eleganter* B. *Augustinus illi, et consequenter etiam*

tibi

tibi reſpondit, his uerbis.

Ecce eadem commemoro quæ ipſe poſuiſti. Si gentilis qui nō uiuit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberauerit, ægra uulnera foouerit, diuitus honeſtæ amicitiæ impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli: quæro abs te, utrū hæc opera homo benè faciat, an malè? Si enim quamuis bona, malè tamen facit, negare non potes, eū peccare qui male quodlibet facit. Sed quia eum non uis, cum facit iſta, peccare, profecto dicturus es, et bona facit et benè. Fructus ergo bonos facit arbor mala, quod fieri non poſſe, Veritas dicit. Nolī præcipitare ſententiam: diligenter conſidera quid te reſpondere cōueniat. Hæc ille. Et confutatis quibusdam cauillis illius hæretici, quibus tu etiam implicaris, concludit: Non itaq; inquantum homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed inquantum malæ uoluntatis eſt, quisq; arbor mala eſt, et bonos fructus facere non poteſt. Vide itaq;, utrum infidelem uoluntatem audeas bonam dicere uoluntatem. Hæc ille. Et iterum sumēs hæretici rationem quam & ipſe inducis, ita diſputationem proſequitur; Sed fortè dicturus es: Miſericors uoluntas bona eſt. Recte iſtud diceretur, ſi quemadmodum fides Chriſti, ideſt, fides quæ per dilectionem operatur, ſemper bona eſt, ita miſericordia ſemper eſſet bona. Hæc ille. Et cùm miſericordia poſſit eſſe non bona, Saulis exemplo: concludit, etiam ipſa bonum infidelium opera eſſe peccatum, quia non bene, ſed ſtulte, ut eius uerbis utar, ac noxia uoluntate ea faciunt; quæ ſit uoluntas, inquit, nullo chriſtiano dubitante, arbor eſt mala, quæ facere non poteſt niſi fructus malos, id eſt, ſola peccata. Omne enim (quæ dixi nolis) quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Hæc Auguſtinus.

Augu. cōtra Iulianū Pelagianū lib 4. ca. 3. prope finē.

Quare uniuerſaliter concluſit eodem in loco, Quicquid boni fit ab homine & non propter illud fit propter quod fieri debere uera ſapientia præcipit, etſi officio uideatur bonum, ipſo non recta fine peccatum eſt.

Soto. Nunquã B. Auguſtinus diceret rationi aduerſantia, ſed opus eſt intelligentia. Non eſt ergo illius mens, quod oĩa opera infidelium & eorum qui ſunt in ſtatu naturæ lapſæ ſint peccata ſim pliciter: ſed ea tantum quæ ex impietate & infidelitate procedunt: & ita exponit B. Thomas illum locũ Apoſtoli: Omne quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt. Poteſt autẽ infidelis aliquid operari ob finem aliquem bonum & honeſtum, etiam amore Dei.

Ambr. Verba D. Auguſtini adèo clara ſunt, ut expoſitione non indigeant. Neq; nunc de ſenſu D. Thomæ eſt ſermo, ſed Auguſtini, qui malam arborem dicit eſſe omnem hominem fide caſſum et gratia Dei propter impiam et infidelẽ uoluntatem, et idcirco non poſſe facere ullum fructum bonum. Nam cùm homo eiuſmodi ſit caro (quod enim natum eſt ex carne, caro eſt) quomodo poteſt facere quippiam boni & honeſti ſecundum ueram rationem? Hoc eſt enim uerè moraliter bonum.

Soto. Peruerſa eſt ad hoc ſuadendum interpretatio tua illius loci: Quod natum eſt ex carne caro eſt. Nam & qui ita naſcitur, poteſt aliquid facere amore Dei.

Ambr. Amore Dei? Sine gratia & auxilio ſpeciali?

SOTO. Profecto.

Ambr. Me miſerum, cũ quo congredior. Profiteris ſcripturas, & ignoras adhuc quid ſit caro in ſacris literis, et quid arbor mala? Nam per arborem malam tu intelligis intentionem malam; cùm intentio mala non ſit arbor, ſed fructus hominis mali & malæ uoluntatis. Arborem autem malam B. Auguſtinus definit eſſe hominem malum, corruptæ naturæ, deſtitutum à Deo ac depraua te mentis propter uoluntatem malam: Vnde ait malam uoluntatem ait eſſe arborem malam unde nullus fructus bonus, ſed omnis fructus eius malus eſt & peccatum. Vnde Dominus dixit: Quomodo poteſtis bona loqui cùm ſitis mali? Nam ſi homo caro eſt, ut ait Dominus, Opera ergo hominis

(De moralibus ſerma eſt) opera carnis ſunt. Proinde carnis opera ab amare carnis procedunt. Quomodo igitur ab amore Dei, ut ais, cum prudentia carnis inimica ſit Deo, nec poteſt aliud ſapere quam terrena et carnalia, quæ non ſolum non placent, ſed diſplicent Deo? An non legiſti quæ ſint opera carnis apud D. Paulum? Ipſe enim inquit: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt carnis fructus. Sed quæ ſunt, obſecro, iſta B. Paule? Audi Soto Opera carnis ſunt adulterium, fornicatio, immunditia, impudicitia luxuria, idolorum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, et his ſimilia. quæ prædica uobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnū Dei non conſequentur. Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudiū, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mānſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hæc ille. Et tu Soto inueniſti opera carnis quæ fiunt amore Dei, ut poté eruditus in ſcripturis plus ſatis. Quamobrem uerè ad te pertinet qui opera bona et non peccata, tua moralia inueniſti etiam habentia finem bonum, ad te inquam pertinet quod Dominus ait Aut facite arborem bonam & fructus eius bonos. aut facite arborē malam et fructus eius malos. Quæra enim abs te (attende Soto, et uide quomodo reſpondeas. ſic enim dixit B. Auguſtinus lucubrans) hæc opera quæ tu laudas moralia & honeſta, suntne fructus arboris bonæ, an malæ? Non puto dices bonæ, ſed malæ & putridæ: quia sunt hominis deſtituti ab omni gratia Dei & iuſtitia, quæ integram et ſanam reddebat naturam. Quomodo ergo audes aſſerere fructus tales arboris non malos, contra uerbum Domini, imo contra ipſam euidentiam? Quomodo non conſideraſti quod et in naturalibus homo corruptus eſt in principijs ipſis unde & mala & bona prouenium? Nam tu ipſe, dum peccatū illud originale definis tuo modo, fateris eſſe

priuationem iuſtitiæ originalis qua mens ſubdebatur Deo. Modo igi tur diſſoluta à Deo, quo pacto amore Dei operabitur?

Nec uideris conſideraſſe, quòd ea ſunt fines in moralibus reſpectu operum, quod ſunt principia in ſpeculatiuis reſpectu concluſionum, ut D. Thomas teſtatur. Sicut autem qui concluſionem non à principijs nouit, non dicitur eam ſcire niſi ſophiſticè: ita qui non recto fine aliquid agit, non dicitur moraliter bonum egiſſe. Quanto autem magis qui prauum habeat finem? Quãquam oportet finem eſſe malum procul dubio, ſi non fuerit bonus. Qui autem habet finem ſuum in carne, cuncta dirigit in ipſam carnem, & ad hunc finem omnia referuntur contempto Deo. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, Deo & carni. Quocirca cõcludo, te eo errore duci, quo ille Iulianus. Ibi enim conaris inuenire finem bonum & homini proportionatum ſecundum rationem & eius naturam, ubi eſſe non poteſt: quia ut dixi, naturam lapſam & corruptam, tanquam integram conſideras, non cogitãs quòd illam non fecit Deus, ſed Diabolus per peccatũ. Atqui, ut ait B. Auguſtinus & Thomas, propriè loquendo de natura, non de ea quæ lapſa eſt & corrupta intelligendum eſt, ſed quæ in integritate ſua debuit permanere. Quare, caue ne illud D. Auguſtini etiam ad te pertineat, quod in Iulianum ſcripſit, nempè hoc: Omnia quæ uidentur inter homines habere aliquid laudis, uideãtur tibi uirtutes ueræ, uideantur opera bona, & ſine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio, quia nõ ea facit uoluntas bona. Voluntas quippe infidelis atq; impia non eſt bona. Dicantur ſecundum te huiuſmodi uoluntates arbores bonæ: ſufficit quòd apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuoſæ, inter quas ſunt & bonæ, te authore, te laudatore, ſi uis etiam plantatore: dum tamen illud uelis nolis obtineam, quod amor mundi, quo quiſq; amicus eſt huius mun-

di, non eſt à Deo, amorq; fruendi quibuſcunq; creaturis ſine amore creatoris, non eſt a Deo. Amor autem Dei *qua peruenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo Patre per* IESVM *Chriſtum cum Spiritu ſancto. Per hunc amorem creatoris, benè quiſq; utitur etiam creaturis. Sine hoc amore creatoris nullis quiſquam benè utitur creaturis. Hæc ille, & meritò. Quia bonum quod tu inueniſti medium inter bonum meritarium & peccatum in lapſa natura, non agnouit: quod tamen potuiſſet in integra cõſiderari. Quare & perperam expoſuiſti quod ait:* Si Abraam *ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deũ, uolens ueras mereri laudes ab hominibus pro operibus humanis etiam abſq; diuina gratia et auxilio Dei factis. In qua opinione ſi perſiſtis, ad te pertinent quæ paulo ſuperius. B. Auguſtinus in libro humum ſcripſit: ubi incenſus in illum, non abſq; ſtomacho ſancta dicebat Sint arbores inter homines fructuoſæ inter quas ſunt et bonæ te auctore te laudatore, ſi uis, etiam plãtatore. Vide quanta graueris auctoritate ſi et te auctore, ẽt inter homines bona eſſe uelis et laude uera digna, quæ ab iſta miſera hõis cõditione præceſſerint. Quod ſi* Auguſtini *autoritate nõ moueris, ſaltẽ mouear te ipſe* Dominus *q̃ phariſeas increpabat his uerbis:* Vos eſtis q̃ iuſtificatis uos corã hoibus: Deus aũt nouit corda ueſtra: *quia quod hominibus altũ eſt, abominatio eſt ante Deũ.*

Sed ne nimis longa te ſermone detineam, uenio ad alium quo plerique Nota *implicantur errorem tuum. Putatis enim quæcunq; facerent olim gẽtes, ignorantes fidei noſtræ myſteria, quæ uidebantur opera uirtutum, & formoſis uere erant, ſicut apparet in Cornelio Centurione. abſq; ſpeciali* Dei *auxilio feciſſe. Cui falſæ opinioni occurrit ille* Epiſcopus *& Martyr* Dei Roſſenſis, *qui dixit, ſpeciale auxilium gratiæ non deeſſe cuiq; quamuis magno peccatori, ſicut in libro Sapientiæ Salomon atteſtatur: niſi fortè quibusdam, qui ſua duritia & inſigni contumacia*

derelicti sunt à Deo & insensũ reprobum traditi : ut est exemplum in scripturis de Pharaone & nonnullis alijs : quibus possumus & haeresiarchas adiungere, quorum neminem legimus resipuisse, eo quòd proprio damnati iudicio, facti quodammodo connaturales Demonijs, gaudẽt & semetipsis & alios mira obstinatione perdere. Vae igitur cuilibet hominum quem sibi ipsi Deus dimittit. Considera quid est quod ait : Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternũ, quia caro est. Et, Videns, inquit, q̃ multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta ad malum, seu ut habet hebraica veritas, cuncta formata cogitationum cordis, solummodo malum omni tempore. Idest, sicut Caietanus ait, nihil habens boni admixtum nisi relatiuè ad malũ, toto tempore sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, aut potius mala est seu malum est ab adolescentia sua. Simile est figmentum nostrum & formatio nostra ut sit uniuersum malum à primis incunabulis, quid quaesa boni faciet? Ne quaesa permittas te decipi, quòd Augustinus, etiam uitam flagitiosarum dicat non carere aliquibus bonis operibus. Ipse enim se declarans abundè, uocat ea ex officia bona, non ex fine, qui uere bona reddit. Nam et dæmones aliqua faciunt quae ex seipsis bona sunt, dum credunt & confitentur : quae tamen uere bona non sunt : quia ut Caietani uerbis utar, relatiuè tendunt in malum.

Considera & quod habetur ex psalmis & prophetis & a B. Apostolo recitatur : Non est iustus quisq̃, non est intelligens, non est requirens Deum. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studijs suis. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usq̃ ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorũ : linguis suis dolosè agebant : uenenum aspidum sub labijs eorum. Quorũ os maledictione et amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in uijs eorum, et uiã

pacis non cognouerunt: Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Vide quòd hæc mala et uitia dicuntur de omnibus filijs hominum, et tamen de facta non sunt omnium. Igitur naturam hominum nobis declarat, quæ talis in omnibus fuiſſet, ſi eam Chriſtus nõ liberaſſet, ſed ſibypſi ſuisq; uiribus quemlibet reliquiſſet. Lege iterum Iſaiam, et melius intelligis quæ ait: Ecce tu iratus es, et peccauimus: In ipſis fumus ſemper, et ſaluabimur. Et facti ſumus ut immundus omnes nos, et quaſi pannus menſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ etc. Et ne uniuerſam ueterẽ ſcripturam reuoluam, conſidera B. Paulum, qui in earẽtibus gratiã dominari peccatum teſtatur, et nos natura eſſe filios iræ, Et per legem trã Dei ſuccẽdi, et iuſtitiam omnem ſuam reputare ut ſtercus. Et ut ad Chriſti teſtimonia deſcendamus, conſidera profundius quid eſt id quod ait; Qui natus eſt ex carne caro eſt. Et ſimul quod ait Chryſoſtomus: Mos eſt ſcripturæ carnalia ſapientes et nihil ſublime cogitantes, carnis nomine appellare. Et: Vos de deorſum eſtis, ego deſupernis ſum. Et: Qui de terra eſt, de terra eſt, et terrena loquitur. Et quod ex eodẽ fonte dulcis et amarus liquor manare non poſſit. Et: Quomodo uos poteſtis bona loqui cum ſitis mali? Et: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et: Nonne Moſes dedit uobis legem, et nemo ueſtrum facit legem? Et: Non poteſt mundus odiſſe uos, me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt. Conſidera et quæ Dilectus ille inſtatur, quæ teſtimonia perhibuit Chriſto. Omne inquit, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, et cõcupiſcentia oculorum, et ſuperbia uitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit & concupiſcentia eius. Et: Scimus quod ex Deo ſumus, et mũdus totus in maligno poſitus eſt. Item: Ipſi de mũdo ſũt: idcirco de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Hæc et alia multa ſũt, ut intelligamus q̃ quicquid eſt bona, etiam ſecundum naturam iſtam

Iſa. 64.
Ad Rom.
Ad Epheſ.
Ad philip.
Ioan. 3.
Chryſ ſup Geneſim
Iacob. 3.
Ioan. 8.
1 Ioan. 2. & 3. & 4.

ſuam quam de peccato contraxit eſt inimicum Deo, nec poteſt etiam eleuari in Deum ut ſit aliquando rectus ſecundum naturam: quia principia eius sunt corrupta. Quod uerò inquis: Si poteſt homo abſq; aliquo dilectionis in parentes aut patriam aut amicos elicere, multo magis in

1. Ioan. 4. *Deum: è diametro cum Apoſtolo pugnat, qui dixit: Qui non diligit fratrem ſuum quem uidet: Deum quem non uidet quomodo poteſt diligere? Quamobrem rogo te mi frater, cogita hæc et conſidera animo pacifico et ueritatis amante: Nec enim dubito quin in gratia ueritatis à tua ſententia recedes. Nam & ego (ut uerũ tibi ingenuè cõfitear) aliquando cùm minus eſſem in ſcripturis & in lectione ſanctorum patrum aſſuetus, ac propterea illius primi peccati malignitatem minus conſideraſſem; magnificabam naturam ferè ut ipſe facis, & B. Auguſtini ſententijs perturbabar, quòd libero arbitrio nimium detrahere uideretur: & ijsdem quibus tu argumentis mouebar. Verùm, Deo gratia eſt, aliter nunc ſentio, et cum Epiſcopo Roffenſi dico, nihil aliud eſſe quam ſcholaſticas argutias quibus ipſe moueris, & ab ignorantia illius peccati & naturæ corruptæ procedere, quam bona natura ſuperbus non uidet agnoſcere. Hactenus igitur circa hanc diſceptationem.*

Reſtat ut nunc orem te, mihi autem etiam iubeam atq; imperem, ut quod à philoſophis non poterat diſci, ſi in patrum & ſcripturarum lectione non planè cernimus, ſtudeamus tamen ex intimis noſtri cordis cogitationibus & aſſiduis operationibus noſtris, quæ omnes uix offenſa Dei uel proximi carere uolent, hoc ipſum agnoſcere: ideſt, naturæ noſtræ malignitatem: & quantum fieri poteſt cum Dei gratia corrigamus & emendemus.

Diſceptatio

DISCEPTATIO QVINTA

De iustissima Dei prouidentia in nonnullos hominum, quos prae illorum insana ac insigni atq; diabolica malitia deserit, reprobat, & in sensum reprobum tradit.

VT ad caetera ad scripturas adycia, non ualeo non mihi mirari, hominem illarum uel prima facie inspectorē posse aliud ex illis elicere, quām hoc ipsum quod Dominus Roffensis dixit, et superiore disceptatione de suis scripsimus recitauimus, uidelicet, Deum aliquos insignes peccatores nonnunquam ita deserere, ut nequeant resipiscere. Tu uero hoc, falsum esse asseris, inter alios Origenis autoritate, praecipuè in Patriarchon, qui ita fuit pius aliquando, ut etiam diabolis poenitentiam & salutem concederet. Affers tamen et D. Thomam et alios doctores, ut probes errore meum esse Roffensis hac parte doctrinam.

Nos autem primùm agere tecum uolumus testimonijs scripturarū, deinde producemus doctores. Manifestū est autē in scripturis, Deū aliquando, etiam in hac uita, quosdam deserere, despicere, et cor eorum obscurare, excaecare, obdurare, ingrauare, tradere quosdā in reprobum sensum, in desideria cordis, in immunditia, in passiones ignominiae. Vnde sapiens: Considera opera Dei, q nemo potest corrigere quē ille despexerit. Et B. Paulus de sapientibus mundi a peccata Idololatriae dixit: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum &c. Et: In passiones ignominiae: In reprobum sensum. Vide reliqua. Et de Pharaone scriptum erat: Indurabo cor Pharaonis. Et iterum: Induravit Deus cor Pharaonis. Beatus Paulus recitat Dei sententiā:

Exo. Rom. 9. *In hac ipſum excitaui te ut oſtendam in te uirtutem meam, & annuncietur nomen meum in uniuerſa terra.* Et concludit: *Igitur cui uult miſeretur, & quem uult indurat.* Vbi patet quòd indurationi regiones opponitur miſeratio: unde ut minus, idem eſt ac ſi dixiſſet, Non miſeretur. *Quo fit ut cui* Dominus *non miſeretur, nequeat reſipiſcere.* Habemus & ex Euangelio dictum a Chriſto diſcipulis, & in illis, cunctis qui libenter audire uelint ueritatem & uerbum eius: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni* Dei: *illis autem qui foris ſunt, in parabolis, ut uidentes uideant & non uideant, & audientes audiant & non intelligant, ne quando conuertantur & dimittantur eis peccata.* Magna hæc uerba ſunt ac digna quæ conſiderentur. Primùm quid eſt quod ait: Illis qui foris ſunt; niſi ys qui repulſi ſunt à gratia Dei & excluſi à lumine propter ſuam ipſorum malitiam? unde non erant digni ea noſſe bona quæ oderant, ut potè dilectores mundi ac tenebrarum eius, et Dei iudiciũ illud promerẽtes, q̃ dixit: In iudiciũ uenit in hũc mũdum, ut qui non uidẽt uideãt, et q̃ uidẽt cæci fiant. Quid eſt dicere: Vt uidentes uideant et nõ uideãt, niſi quod iam dixit, Vt uidentes cæci fiant? quod eſt eorum pœna qui ſalutarem ueritatem agnoſcunt, & propria malitia, quæ nullam habet excuſationem, recuſant: unde meritò ſe dignos conſtituunt ut nec poſſint poſtea agnoſcere ſi fortè uelint. Et hoc eſt iudicium Dei Patris, propter quod & Dominus dixit: *In hoc eſt iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Quapropter multos non trahebat ad Chriſtum Pater, ſine quo nullus ire ad eum poterat, ipſo dicente: Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Non autem trahit eos qui adeo uehementer diligunt tenebras, ut dicant aduentui lucis: Recede à nobis: grauis enim nobis es ad uidendum. Iſti ſemetipſos indurant prius, & Pater indignatur in eos: & cùm non trahat ulterius

illos, fit obduratio perfecta, & uerentrando Deus in ira sua inquit: Quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam. Iusiurandum uero, firmissimam & omnino immutabilem Dei sententiam significat, teste Apostolo. Pſal. 94.

Admiratur Dilectus quosdam, qui cùm tot signa fecisset IESVS, non credidérunt in eum. Vnde impleta est prophetia Isaiæ dicentis: Quis credidit auditui nostro? &c. Sed postmodo sublata est admiratio quando ex illa illorum incredulitate natum est ut nec possent postmodo credere. Vnde ait: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, &c. Vbi notandæ sunt uerbo quod non poterant credere: quæ impossibilitas non nisi à subtractione diuini luminis procedit: alioquin credere potuissent si diuinum lumen affulsisset. Manifestatio autem huius subtracti luminis indicatur ex eo quod sequitur: Quia iterum dixit Isaias: Excæcauit eorum &c. Et uerè iustum, congruum, & omnium iudicio si sani sint, æquissimum supplicium in eos qui bonum suum uident, & uidere recusant hoc est, ut cæci fiant, ne possint amplius uidere. Quare B. Augustinus, Illa inquit, est peccati pœna iustissima, ut amittat quisquis quo bene uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate uti si uellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit: & qui rectum facere cùm posset noluit, amittat posse cùm uelit. Hæc ille: quæ certè opinionem nũ uehementer strangulant: non enim indigent illis glossis cùm clara sint. Quibus & B. Ambrosij sententia consonat dicentis super epistolam ad Rom. Ideò excæcati sunt, ne de cætero possent credere & saluari. In uoluntate ergo sua adiuti sunt: ut quoniam scientes uerum dicebant esse falsum, de cætero non intelligerent quod est uerum, ut uerum haberent falsum quod uolebant. Hæc ille egregiè. Vnde quantum à scripturis manifestè elici potest, Ioan. 12.

De nat. & gra. ca 67.

duo sunt præcipuè, quæ iram & furorem Dei ab eius bonitate extorq̃ quent. Alterum est alicuius peccati grauitas & excellentia: alterum uerò diuturnus animus perseuerantiæ in peccatis, Deo interim exclamante ac reuocante. Et de peccati quidem grauitate, non sanè solenter sunt considerandæ scripturæ. Dominus enim Deus noster dixit: Omne peccatum & blasphemia remittetur: Spiritus autem blasphemia non remittetur neq; in hoc seculo neq; in futuro. Quòd autem quidam interpretantur dictum illud de finali impœnitentia, extraneũ uidelicet esse ac uiolentum: eò quòd ibi in eos sermo ille dirigatur qui peccabant contra diuinam bonitatem, tribuendo Diabolo opera Spiritus sancti. nec uerò erant in confinio mortis, ut posset cogitari finalis impœnitentia: quæ si attenditur, nullum est peccatum remissibile cui illa adiungitur. Certum ergo ibi peccatum significatur præter finalem impœnitentiã, quod procul dubio, ut exponunt nobiles tractatores, in est purum ac perfectum peccatum, ut nullam habeat rationem ad obtinendam misericordiam. De hoc credibile est locutum fuisse Dilectum ubi ait. Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut oret quis. Quis autem oret pro eo qui finaliter in peccato perseuerauit, quem iam oportet esse damnatum? B. Augustinus de eo peccato dixit, posse multa ac diuersa sentiri, quia quale peccatum sit illud, non est expressum.

Beatus Petrus, uidens nodum peccati grauitatem in Simone Magogo, uerumetiam illius cordis dispositionem prauam, dixit illi: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, siue a tanta malitia, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. De quibus uerbis illud accepe, ut dicam: Si forte, constituit rem dubiam, non circa pœnitentiam illius, sed etiã posita pœnitentia, circa ipsam remissionẽ peccati ob eius grauitatem, & ob ipsius cordis (ut dixi) prauitatem & obligationem. Vide subinde: In felle enim amaritudinis & obligatione iniq.

quantis uideo te esse. Fecerat enim iniuriã Spiritui sancto? Quam obrem nec admittuntur tales ad pœnitentiam fructuosam. Talis fuit Cayn, qui uerè dixit: Maior est iniquitas mea, quam ut uenũ merear. Infidelitatis enim peccato sese cognouit obnoxium & in felle amaritudinis, quæ desperationem significat, quam etiam ure optima, conscientia illum damnante, sibi contraxerat, & consequenter in obligatione iniquitatis constitutum sentiebat. Talis fuit Iudas: talis credo Antiochus, de quo dicitur, quod impietatis suæ pœnitens sceleſtus orabat misericordiam non consecuturus. Quamuis aliqui, certè uim literæ asserentes, aliter commententur. Horum figura fuit Esau, qui meritò ab Apostolo uocatur prophanus, qui sua uendens, imò etiam spernens primogenitum per incredulitatem, dixit: Quid mihi proderunt primogenita mea? Quare postmodo non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrimis inquisisset eam. Hac obligatione tenentur omnes hæresiarchæ & persequutores Ecclesiæ, qui agnoscentes se falsa docere, ac per hoc proprio iudicio condemnati, traditi sunt Diabolo et satellitibus eius. De quibus ait ad Thessalonicenses Apostolus, q̃ Deo non placent, semperq; implent peccata sua, quia peruenit ira Dei super illos usq; in finẽ. Quid est ira Dei usq; in finem, nisi ira perfecta, quæ non est extinguibilis, sed perpetua? Sicut è conuerso dilectio Dei erga suos, dicitur dilectio usque in finem apud Apostolum Ioannem. Quæ autem obseruatum est, insignium hæresiarcharum neminem, uel ipso Luthero iuste, aliquando resipuisse. Verùm quia nos nescimus, eos esse qui Ecclesiam persequuntur per schismam & hæreses, qui sint illi qui perfectæ malitiæ sunt, ut contra agnitam ueritatem inuehantur, non prohibemur particulariter orare pro huiusmodi. Nam B. Paulus ad hoc aduertens iubet, hos qui resistunt ueritati corripi cum modestia, si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem, &

resipiscant à Diabolo laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. Loquitur ergo de his qui ignorantes, non absq; peccato tamen, uerùm resistebant. Illa igitur ignorantia erat ratio cur B. Paulus non desperaret de resipiscentia. Nam & ipse de se ipso inquit, Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Dominus in cruce non rogat nisi pro his qui nesciebant quid facerent: non autem pro his de quibus dixerat: Nunc autem & uiderunt & oderunt & me & patrem meũ. Vnde in Psalmo ait: Nõne qui oderunt te Domine oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos &c. Videt ut concorditer sibi inuicé attestantur scripturæ, et inueniri qui sunt sub perfecto odio Dei. Puto autem perfectũ odium non esse nisi illud quod iam spem gratiæ ac misericordiæ auferat. Et hanc ipsam ob causam, ut annotat D. Augustinus, Apostolus non orat neq; bona precatur pro Alexandro illo ærario, qui apostatam, & multa ei mala ostendit, ac ualde restitit eius doctrinæ: Sed imprecatur potius ut illi reddat Dominus iuxta opera sua. Sic enim legitur in Græcis: Reddat, & nõ Reddet. De cæteris uerò qui illum dereliquerunt orat ne illis imputetur. Huius autem discrimmis, quæ causa, nisi quòd sciebat in illo peccatum esse diabolicum & ad mortem? non autem simile in cæteris, in quibus aliquid humani fuit. Vnde & alibi ait: Tentatio uos non apprehendat nisi humana. Et Dominica oratio hanc habet petitionem, ut non inducat nos Deus in tentationem: quod est in pœnam tradere tentationi, atq; ibi dimittere ac deserere. Tunc enim non est nobis facultas ad resistendum. Sed humanæ tentationes, si uiriliter eis resistatur (potest enim illis resisti) non solum non nocent, sed prosunt, quia Deus nõ deserit. Et hæc quidem dicta sint de peccato quod summam habet grauitatem atq; perfectam, quod in Deum ipsum & bonitatem eius tendit diabolicè aut satanicè: quæ grauitas

eſt earum maxime propria, qui Græcè πέρα χοὶ *dicuntur, id eſt, pugnantes contra Deum.*

Eſt uero & aliud genus hominũ, qui ſimiliter à Deo relinquuntur, ſed propter perſeuerantium in peccatis. quod tamen ferè in idẽ recidit. Hinc enim emergit id quod uehementer illi diſplicet, nempè contemptus diuinæ bonitatis. Propterea dixit Apoſtolus: An diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ecce peccatum grande contra benignitatem ac diuitias diuinæ bonitatis. Propter quod ſequitur: Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. In eo enim contẽptu theſaurizat homo ſibi iram ſiquidẽ ut eſt in uetro prouerbio. Patientia quæ contemptu ſæpius eluditur, uertitur in furorem: nam eo contemptu completur iniquitas. Hue fortè ſpectat quod per Amas prophetam dicebat Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quarto non conuertã eum. Sic completæ fuerunt iniquitates Amorræorum.

Ex quibus omnibus (poſſemus tamen alia quoq; annectere) manifeſtè atq; abundè probatum eſſe putamus, in eum ſtatum interdum uenire peccatorẽ aliquem, ut nequeat reſipiſcere, Deo ſuam gratiam ex merito excellentiſſimi alicuius peccati aut diuturni contemptus, iurè ſubtrahente. Nam ſi, ut D. Auguſtinus inquit, peccatum eſt peccati pœna: cum ad hanc pœnam uenit Deus, certè non eſt ſignum quod uelit indulgere, ſed potius amplius punire.

Illud uerò quod tu conſideratè ab Origene annotatum inducis, uidelicet, quòd Deus fuiſſet cauſa perditionis Pharaonis ſi ille noluiſſet ei obtemperare, non ualens: potuiſſet enim dicere: Quare me indurauiſti? Et cur a me abs te indurato queris obſequium? Sed illi conſideratius reſpondetur: hoc poſſes dicere ò Pharao, niſi ante prius tua

ſponte obdurasſes cùm ualuisses obtemperare. Nunc uerò quoniã tuã hanc impotentiam tibypſi tuo peccato comparasti, merito tibi imputatur. Sicut & ebrius non eſt absq; culpa eorum quæ per ebrietatem insanus deliquit, cùm semetipſum in illud periculum supra modum potando conjecerit. Neq; illa Origenis expoſitio uera eſt, quã tu tamen conſideratiſſimè ab eo inductam inquis, Deum uidelicet non aliter indurasſe cor Pharaonis, quam patienter tollerando, & miſericorditer expectando ad pœnitentiã. Nam ſi ita eſt, quomodo ait B. Paulus: Cui uult miſeretur & quem uult indurat? Si enim indurare eſt patienter tollerare & ad pœnitentiã prouocare, & ut ait Origenes, uelle emollire, idem profectò eſt indurare quod miſereri: Et tamen è regione ab Apoſtolo & ex diametro hæc opponuntur. Et D. Ambroſius explicans hæc duo, ait: Aly miſeretur, & alterum deſpicit. Et D. Auguſtinus in lib. de prædeſt. & gratia cap. 14. Indurare, inquit, Deus dicitur illum quem emollire noluerit. Sic excæcare dicitur eum quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum quem uocare noluerit. Hæc ille. Nunc tuipſe cogita, quid magis probandum ſit, an quod ait Origenes hæreticus expanens uerbũ hoc, indurare, ut redeat in Emollire, an uerò quod aiunt duo clariſſima Eccleſiæ lumina D. Ambroſius & Auguſtinus, qui uim & ſignificationem eius uocis ſequentes, è conuerſo Dei iram et pœnam contumaci inſlam inde cõcipiunt. Præterea, ſi Origenis eſt uera illa expoſitio, importuna fuiſſet quæſtio quã tamen ſtatim ex eo dicto quaſi abſurdo ſibi Apoſtolus fecit, nempè hãc: Dices itaq; mihi, Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit? Quia enim planè dixerat, quod Deus aufert miſericordiã ab eo quem indurat: contra hoc dictum inducit illud quod eſt Origenis argumentum tuo iudicio conſideratiſſimum, ſed apud B. Paulum inaniſſimum. Id autem eſt: Iniuriã Deus conqueratur, ſi reguirit

obedientiam

obedientiam ab eo quem indurauit, et iniquè punit eum qui iam obedire non uoluit. Cui argumenta mox reſpõdens ille primùm ad hominem, inquit: O homo, tu quis es? etc. An non habet poteſtatem figulus luti ex eadẽ maſſa? etc. Deinde ad rem ipſam, perfectam ſolutionem adiungens, dixit: Quod ſi Deus uolens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia uaſa iræ aptata in interitum, ut oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam. Hic eſt ſermo indignantis, qui præ indignatione ſignificat quidpiã non expreſſum, quod oportet ſubaudiri, ac ſi expreſſerit: Quis poteſt Deum iniquitatis arguere (quod eſt horrendum uel cogitare) ſi ille uoluit oſtendere uindictam, et per hoc notam facere potentiam ſuam in uaſa iræ aptata in interitum? B. Auguſtinus dixit: Perfecta in interitum, ut intelligas quòd nõ ipſe aptauit, ſed illa semetipſa iam aptauerunt et perfecerant. At è conuerſa benè dicit quòd ipſe uaſa miſericordiæ præparauit in gloriam ſuam. Quòd ergo Deus indurauerit Pharaonem, ideſt, miſericordiam et auxilium gratiæ ſuæ, ut Auguſtinus expoſuit, ab eo ſubtraxerit: nam à principio fuit, ſed prius ſuſtinuit illum in multa patiẽtia. Quod ſi poſtmodo per diuinæ gratiæ et omnis auxilij ſubtractionem excæcatus eſt à Deo ut oſtenderet in eum uirtutem et potentiam ſuam, qui benè utitur malis et peccatis, ad gloriam ſuam, ut oſtenderet diuitias bonitatis ſuæ in uaſa miſericordiæ: quis poteſt hoc Dei conſilium reprehendere, iuſtiſſimum quidem in uaſa iræ, et benigniſſimum in uaſa miſericordiæ?

Deus, non debuit ſubtrahi auxilium gratiæ cuiquam donec fuerit malus: et malus eſt quis q; donec in hac uita manet. Quis ad hanc regulam obligauit Dominũ? An non poteſt ille ex meritis hominis cæcumacis et proterui, quem poſſet iure occidere ſicut fecit multis, et occiſum cõfeſtim trudere in gehennam, nihilo magis ſeruare illum in uitæ,

non iam ut uatorem hac parte, ut possit ad patriam tendere, sed ut illius proteruia et rebellione utitur ad sui gloriam et in exemplū atq; ostentū multis? Quid enim obstat ne sit aliquis perfectus peccator, qus cōplenerit malitiam suam ut Diabolus Satan, *ac propterea perfectam iram promereatur, et* Dominus *utatur illo ad bonum aliquod, ad ostentum ut iam diximus, et ad exemplum? Sic enim utitur ad bonum sanctis et perfectis uiris, quos iam confirmauit in gratia cùm iam maturi essent ad gloriam, sed propter aliorum salutem hic retinentur.*

Sunt autem plurima in scripturis, quae si non istis uestris peruersissimis glossis peruertuntur (qua uultis potius accōmodare scripturas uestro sensui quem semel concepistis ut uerum, quàm sensum uestrum subdere proprietati uerborum ipsarum scripturarum, unde nihil absurdi consequitur) planissimè et commodissimè nostrae astipulantur sententiae. Legimus enim Deum *aliquos non solùm indurare, sed repellere, deserere, excaecare, ingrauare, in tēptationē inducere. dare, miscere, immittere spiritum compunctionis, spiritum soporis, spiritum uertiginis, operationem aut potius efficaciam erroris ut credant mendacio. Item cōuertere cor in malū et excitare odiū ut dolum faciāt etc. Haec certè et alia his similia, quae à* Deo *fieri leguntur, manifestè non misericordiam Dei, sed iustitiam sed uindictam, significant. & quo uis modo ea faciat* Deus, *etiam per solam gratiae subtractionē, quam doctores sancti concedunt, nec tu negas: certe ad resipiscentiam non conducit, sed ad proteruiam et contumaciam usq; in finem.*

Nec propterea dicimus sicut impy lutherani, quòd Deus *immittat malitiam, & ita faciat in nobis aut per nos opus peccati sicut opus iustitiae, ut ita sit opus Dei propriū Iudae proditio, sicut Petri conuersio aut Pauli uocatio. Hoc enim horrendum est nimis, quod nunc subdemus anathemati. Illud ergo cum* D. *Augustino tenemus: sed prae-*

ſtat ut eius uerba producam. Poſtquàm enim de ſuperioribus plures induxit ſcripturas. Inuenimus inquit, aliqua peccata etiam pœnas eſſe peccatorum: ſicut ſunt uaſa iræ, quæ perfecta in perditionẽ dicit Apoſtolus: ſicut eſt indurato Pharaonis. Hæc ille. Sic etiã aũt à Deo inclinatam uoluntatem Semei ad maledicendum Dauid, & conuerſam fuiſſe Roboam uoluntatem ſimiliter, ne conſilium admitteret ſeniorum. Et poſt ſimilia quædam: Agit n. inquit, omnipotens in cordibus hominum etiam motum uoluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipſe uoluerit, qui omnino iniuſte aliqd uelle nõ nouit. Denique, ueritatis potentia impulsus, uere & ſapienter concludit in hæc uerba: Videte quæ ſcripta ſunt in epiſtola Pauli Apoſtoli ad Romanos: Propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiã. Item paulo poſt: Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Item paulo poſt: Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conueniunt. Et ad Theſſalonicenſes in epiſtola ſecunda aũt de quibuſdã: Pro eo quòd dilectionem ueritatis nõ receperunt ut ſalui fierent, idèo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt falſitati. His & talibus teſtimonijs diuinorum eloquiorũ, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis quantum exiſtimo manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum uoluntates quocunq; uoluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorũ, iudicio utiq; ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto. Fixum enim debet eſſe & immobile in corde ueſtro quia non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in literis ueritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi uel obdurari corda eorum: nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut iuſtè iſta pa-

nota verba Auguſtini de gratia & lib. arb. cap. 21.

Nota regulam veram

terentur : ne incurratis in illud prouerbium Salomonis : Insipientia uiri uiolat uias eius, Deum autem causatur in corde suo. Hæc ille. *Quæ non alia indigent uestra expositione, siquidem ipsa non aliud sunt quàm expositio planissimo & clarissima.*

Quæ uero tù ex pectore Origenis adducis, quòd Deus *uult omnes homines saluos fieri, et non uult mortem peccatoris, & nemini claudit gremium, modò pœniteat & ingemiscat, nihil ad hos pertinet, qui iam iudicati sunt, et in numero uitatorum non sunt ut queant legitimè pœnitere & ingemiscere. Quòd item ait* B. *Thomas esse erroneum asserere, dari aliquod peccatum in hac uita, de quo quis pœnitere non possit, tùm quia ab homine auferretur liberum arbitrium, tùm quia derogaretur uirtuti gratiæ : indiget intelligẽtia sana. Certũ est enim neminem posse fructuosè pœnitere absq; auxilio gratiæ Dei ; Et tamen non derogatur per hoc libero arbitrio. Si quis ergo diceret, posse hominem absq; Dei gratia per liberum arbitrium resipiscere : hæresim damnatam diceret. Hæc est igitur uera : De quolibet peccato potest quis pœnitere si Dei gratia illi non desit. Et ideo erronea censetur hæc oppositio : De aliquo peccato quis, etiam Dei gratia adiutus, pœnitere non potest. Sic enim Dei gratiæ et libero arbitrio, quod Dei gratia adiuuatur, derogaretur. Vnde benè cõcluditur per D. Thomam, quòd omne peccatum in hac uita per pœnitentiam uerã deleri potest. Sed illud in quæstione uertatur, utrum quilibet pœnitentiam ueram habere possit. Certè ex se ipso nemo habere potest. Quod si gratia priuatus, etiam obduratus fuerit, id est, desertus à Deo, sicut nonnullis ob ipsorum insigne peccatum aut duritiam contingere iam probauimus : simpliciter dici potest, eum talẽ pœnitentiam uerã habere non posse. Et hæc ad D. Thomam, qui alys locis pro nobis militat.*

Non puto igitur esse negandum, quosdam in hac uita perfectos esse

Digitized by Google

in malitia & odia Dei, quos et uerſa uice odio perfecto Deus odit, ut habeat iam in secreto suo iudicio pro damnatis, & hos recte dixit B. Ambroſius, præparare Deū ad interitum, ſicut & bonos præparat ad coronam: sed in hac uita utuntur eorum malitia & contumacia in alios quod bonum, ut dictum eſt, ſicut e conuerſo habet & nonnullos perfectos pro beatis & iam comprehenſoribus ſecūdum certiſſimam ſpem, quorum tamen opera utitur in hac uita ad aliorum conuerſionem & clarificationem suæ gratiæ in illos.

Neq; uerò huius rei notitia atq; prædicatio noxia eſt ſi prudenter prædicetur, ut alibi ſcripſi: ſed temperandus eſt ſermo, ut id agat exhortatur, quò & nema in deſperationem inducatur, nec tamen tanta tamq; falsaci ſpe alatur qui eſt in peccatis, ut putet in sua eſſe poteſtate & uelle reſurgere, et tunc quando uoluerit, id illi accidere. Quot enim sunt qui uſq; ad ultimum diem mortis expectant, perpetuò licenter peccantes, ut tunc conuertantur? Sed quot ſunt ex his tandem qui fallantur? Ideo non oportet huic falſæ ſpei atq; irrationabili ſuffragari. Nec tamen cum ad particularem deſcenditur quamuis inſignē peccatorem, nos qui Dei iudicia iſta quæ in ſua continet poteſtate neſcimus, debemus reycere & a ſpe deterrere, ſed omnibus polliceri miſericordiam Dei uberem, quæ non repellit ſuppliciter ad se clamantes. Non eſt enim hominis eum ſignare qui talis eſt, id eſt, quem Deus deſpexerit. Et cùm ſit iam de hoc actum quiſquis is fuerit, non eſt metuendum ne illius correctioni obſit hæc prædicatio, qui iam corrigi nequeat. Porrò qui talis non fuerit, deterrebitur a peccata potius hac prædicatione, quam in deſperationem conijcietur, ſi audierit quòd nema ſeipsum debeat iudicare talem, ſed id ſemper agere quod in se eſt, ut ſeſe à peccato explicet atq; euellat, ne fortè talis aliquādo fiat. Nam & hoc ad gloriam Chriſti pertinet, ut qui reſpuerint miſericordiam,

& sanguinem testamenti reprobauerint, tam perfecti ad interitum; Dei iudicio uasa contumeliæ fiant. Et hæc circa hanc quintam disceptationem existimo satis esse.

Ad omnia de quibus, in tuis hactenus publicatis scriptis, abs te reprehendor mi frater, ita mihi uideor planè ac dilucidè respondisse; ut facile, nisi mentis oculos amiseris, queas agnoscere, uniuersam disputationem tuam scatere calumnijs euidentibus atq; erroribus: ut nunc tuum sit iam honori tuo consulere, nō errores erroribus, et calumnias calumnijs addendo (quandoquidem alio pacto mendacia defendi non possunt) sed gloriosius ad ueritatem respiciendo, & illam ingenuè confitendo. Sic.n. Deo satisfacies et fratri tuo et cæteris hominibus coram Deo, qui falli technis aut astu ullo nō potest. quod nisi animositatem quandam, qua multi prædicant te teneri, deposueris frater, profecto efficere nō poteris. Ego uerò, ut qui te fraternè admonuerim, lauero manus meas ab hoc delicto, & curabo orationibus et sacrificijs sinceram erga te et omnes homines seruare pacem & charitatem.

Benedictus Deus.

Errata Impreſſoris corrigenda.

Charta	pagina	uerſu			
9	2	14	*igitur tam audaſter*	*lege*	*tam audaſter*
13	1	11	*ſpecialem*		*ſpeciale*
17	2	13	*dicuntur*		*dicuntur*
21	1	19	*rut*		*runt*
25	2	14	*enim* B. Ambroſius		B. *n.* Ambroſius
28	1	5	*ordinaret in talem, finem ad, quem præua diſtingue comis hoc pacto ordinaret in talem finem, ad quem, præua*		
28	2	7	*sequnturos*		*sequuturas*

REGISTRVM.

A B C D E F G H I k L M N O P Q R S.

Omnes ſunt duernones.

Terminatum Romæ in officina Antonij Bladi Cameræ Apoſtolicæ Impreſſoris, Die nona menſis Martij, Anno Domini

M. D. LI.

5852382